

E L E M E N T A
J U R I S C I V I L I S.

ELEMENTA
JURIS CIVILIS.
AD MENTEM INSTIT.

JUSTIN. IMP.

Nova ac faciliore methodo adornata

IN USUM
PRIVATI AUDITORII
DOMINICI ANT. MANGIERI JCTI

Et in Reg. Neap. Archigymn.
Prim. Anteces.

Cum duplo Indice cum Titulorum & Paragraphorum
cum Rerum & Verborum.

TOMUS PRIMUS
LIBER PRIMUS



NEAPOLI MDCCCLXVI.

APUD JOSEPHUM RAYMUNDUM
PUBLICA AUCTORITATE.

Tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti: venier de plebe togata,
Qui Juris nodos & legum ænigmata solvat.
Juven. Satyr. VIII. V. 47.

P R A E F A T I O

A D L E C T O R E M.



Gerunt mecum ac sæpenume-
ro ex postularunt Adolescentes
Juris studiosi, ut Elementa
Juris Civilis, quæ ipsis an-
niversaria opera domi dictare solebam,
typis aliquando mandarem, ac publi-
ca facerem. Fateor, Erudite Lector,
hisce meorum Auditorum postulatio-
nibus & sæpe morosissimis diu me ob-
nixe restitisse, nec sine cauſa: vere-
bar enim Virorum subacti ingenii ju-
dicum, qui mea hæc ut non satis
concinne scripta censoria virgula no-
tarent, meumque nomen in Cæritum
tabulas referri continuo juberent: quin
imo stultitiae simul ac temeritatis me
merito redarguerent, q̄od nec nova

a 2

nec

vi *P R A E F A T I O.*

nec inaudita adhuc in medium proferre auderem, proque ignotis indistisque ea nunc ingerere vellem: nec me ab incepto deterreret illud Juvenalis (1) in omnium ore hodie frequens, & hac maxime tempestate per vulgatum.

Occidit miseris crambe repetita magistros.
Accedebat etiam, quod cum in hoc scriptorum genere adeo sint multi veteres recentioresque, ut Jo. Petrus de Ludewig (2) utramque fere paginam impleverit, adcurate recensens fere omnes, qui in hos Justiniani libellos, diversis tamen studiis, scripsierunt commentationes, aut qualemcumque operam studiumque contulerunt; certe in tanta Commentatorum turba mea fama in obscuro esset, si mea haec temere in vulgus exire passus essem.

Quamquam haec & his similia jam dudum a me ita animadversa, aut aestima-

(1) *Satyr.* v. 155.

(2) *In Vit. Justin.* cap. 3.

stimata essent, ut nulla unquam res, vel insaniabile scribendi cacoëthes, quod multorum animos jam pervaferat, a proposito me dejicere potuisset; vice-runt tamen perpetui Amicorum hor-tatus, atque crebris meorum Audito-rum precibus obsecrationibusque fractus concessi demum, ne non in omnibus obsequerer iis, quibus vitam & ope-ram consecravi: sensi enim ad extre-mum, multam hodie in Scholis tem-poris jacturam fieri dictando atque scribendo, multos quoque scribendi molestiam defugere, plerosque vero (quod dolebam) mendoza dictata cir-cumferre. Abjecto itaque isthoc con-silio, constitui tandem hæc mea Ju-ris Civilis Elementa typis modo ple-nius exscribi, quæ breviter antea ca-lamo exscribenda dederam, non ina-nis gloriolæ aucupandæ studio, a qua longe me detinuit meæ vitæ ratio, ingeniique mei mediocritas, sed uti-litatis ergo cupidæ legum juventutis:

viii **P R A E F A T I O .**

quæ certe una res ad id me maxime impulit. Pauca nunc ergo in ipso operis limine de instituti mei ratione præfari lubet, sed ex re, ut Flaccus ait.

Omnes plane norunt, perspectumque habent, ad solidam Juris Romani cognitionem sibi comparandam omnino cuique opus esse, ut jugi sedulaque meditatione legitimæ scientiæ rudimenta perdiscat ex elementariis Justiniani libellis, ubi sapientissimus Imperator admirabili sane artificio omnes fere universi Juris materias ad sua quasque principia revocavit, positis passim modo verborum Juris significationibus, modo rerum definitionibus, adhesionibus, partitionibusque elegantissimis, modo certis simplicibusque regulis constitutis, quibus tuto inædificari posset universæ Jurisprudentiæ ædificium; omniaque pene Civilis Prudentiæ capita tam angusto brevique ambitu ita luculenter complexus est, ut jure meritoque hos libellos magnopere laudet Cl. Cuja-

cius

cius (1), comptissimos , nitidissimos , facillimos , nullumque fere Interpretētem desiderantes prædicans , conditos eo ordine & arte tanta , quantam vix ullus hodie nobis conficere potest , aut poterit unquam .

Verum enim vero non me latet , quam longe a Cujacio consummatissimæ alioquin eruditionis viro (nescio quaque ratione) discedant alii , atque in diversas abeant partes , inter quos familiam dicit Wesenbecius , qui hæc (2) audacter pronunciare non dubitavit : *laudent qui volent , hos elementarios libellos : mihi nec materia , nec methodus placet : nec difficile melius adornare . Acerbe nimis & patulo severius , ne dicam impie , hoc dictum arbitror in sacra- tissimos Justiniani Manes aliquosque præstantissimos Juris Romani Archite- etos , qui de Civili Prudentia optime meriti sunt : etenim licet non infi-*
cier

(1) *Lib. 11. observ. cap. 38.*

(2) *Ad §. 2. Instit. de testam. ordin.*

x P RÆFATI.

cier, quantum ad Institutionum materia spectat, multa in iis desiderari, multaque prætermissa Compositorum incuria, quorum cognitionem Juris tironibus apprime necessariam esse, jam dudum animadverterunt elegantiores legum Interpretes; ea tamen a docentibus in Scholis solerter suppleri posse ex immenso Pandectarum corpore, ad quas se penumerationes delegat ipsemet Justinianus, aut secundum priscum paratitlorum usum singulis titulis adscribi, quæ aliis in titulis ac locis illum ad titulum pertinentia reperiantur, nihil omnino est, quod prohibet, nec quominus id fiat, intercedit Imperator noster (1), dum in illis tamen conficiendis modum quis prudenter adhibeat, justosque fines ab eodem Justiniano (2) præstitutos non egrediatur, neve ab ejus

(1) In *Præfat. de Concept. Dig. & de Confirm. Dig.*

(2) In §. 3. *Instit. de J. & I.*

instituto præceptisque deerret; ceu sapienter monet idem Cujacius (1), ne fortasse Juris studiosi difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ ab hoc studio deterreantur; aut multitudine ac varietate rerum præter modum onerentur. Peccarunt porro in juvenum commoda, quod ægre di-
co, præter Schneidewinum; Mynsinge-
rium, Harprechtum; Balduinus, Con-
nanus, Hotomanus, Vinnius, aliquæ
quam plurimi, prolixiores nempe ac
subtiliores, quam par erat, in hæc
Justiniani Institutiones scribentes com-
mentarios.

De methodo autem, qua confictū
sunt isti elementarii libelli, plura non
differo: nam si ad generalem titulo-
rum illam respiciamus, concinna fer-
me est, & apte sibi cohæret: siquidem
Compositores hac in re præstan-
tissimos veteres Jctos, Ulpianum scili-
cket, Paulum, Florentinum, Marcia-
num

(1) In cit. loc.

num , & præ ceteris Cajum , qui Institutionum quoque libros ad juvenum captum ediderunt , maxime imitati sunt , eumdemque fere ordinem secuti : tantum si excipias peculiarem paragraphorum seriem , quæ abrupta sæpe est & intercisa : turbati enim in singulis plerumque titulis sive capitibus illi conspiciuntur , & quandoque fugitivi : quæ caussa potissima est , cur ipsa rerum tractatio fluxa , vaga & sæpiissime obscura fiat . Sed ignoscendum humaniter puto Triboniano ejusque Collegis ; id enim vitii non solum illius infelicissimæ ætatis commune fuit , sed omnium etiam veterum Scriptorum , quos in tradendis disciplinis nulla plane methodo usos esse , nullove ordine egisse , pro comperto est . Hæc cum ita sint , quæ nunc mei instituti ratio fuerit , quidque operæ , laboris , industriæ in hæc mea Juris Civilis Elementa contulerim , paucis absolvam . Profecto experiundo didici , qua-
tuor

P R A E F A T I O . xiii

tuor omnino esse vias , quæ ad Juris Romani fontes ducunt , eximiam scilicet sermonis cum Græci , tum Latini peritiam ; Rei porro Romanæ , ac in primis Quiritium Juris per varias temporum epochas historicam simul atque politicam cognitionem ; omnis præterea Philosophiæ , Stoicæ præcipue , item Dialecticæ scientiam , Civilis denique Prudentiæ notitiam pleniorem . Hæc regia ad sublimem Sapientiæ Romanæ arcem via est : hi ad interiora Themidis penetralia aditus . Ad hos itaque perquirendos legum fontes a rerum primordiis , ac ab ipsis legitimæ Scientiæ cunabulis juvenum animi sunt excitandi . Mitto peritiam linguarum utriusque Imperii , Historiarum quoque & Antiquitatum cognitionem , sine quibus hisce sacris initiari nemini licet , nec licuit unquam . Mitto , quod ex intima Philosophia , ex naturæ & societatis humanæ cognitione , ex sempiternis ju-
sti

sti & injusti regulis haurienda penitus sit Juris disciplina , atque animis ad Moralis Sapientiae præcepta rite compositis sanctissimum Juris studium ingredi eopporteat ; alioquin nec veri Icti nomen mereri quisquam , nec in cœnibus negotiis æquitatem , nisi fortuito , reperire queat .

Ad ea autem potissimum animum intendi , quæ tum ad ætates seetasque veterum Ictorum , tum ad publicum Rei Romanæ statum , variasque Imperii ac Magistratum vicissitudines ab Urbe condita ad Justinianum usque respiciunt : quæ sane Juris periodus & quidem maxima , magisque tenebris involuta Jurisprudentiam proprie eostituit Ante - Justinianeam : hoc enim pacto existimo non *antinomias* solum prima specie subnascentes ultro evanescere , verum & universum Jus clariorum lucem magis magisque accipere posse . Hac porro de causa hisce meis Elementis quædam præfixi
Pro-

Prolegomena , ubi de Juris principiis & fontibus , de ejusdem origine , progressu & successione Prudentum , demum de fato Jurisprudentiaz Justinianæ , ejusque restauratione paulo plenius differere placuit ; quandoquidem nisi hæc perspectissima quisque habeat , & quasi in numerato , in sacrarium Romanæ Themidis penetrare potest nemo .

His laboribus feliciter profligatis , meæ curæ meique laboris pars magna fuit , ut iste Imperialium Institutionum libellus , qui plurimis in locis scatet mendis , horridus & asper appareat , plurimasque habet salebras , efficeretur nitidus , planus , accessuque facillimus studiosæ legum juventuti : qua de re potissimum curavi , materias Juris apto ordine disponere , easque late patentes in Pandectis & Codice ad quædam capita ac indubitata & simplicia principia revocare , rerum definitiones communiter receptas tradere , juri-

juridicas vocum significationes expone-re , conferre pro re nata Jus vetus Pan-declarum cum novo Jure Codicis & Novellarum , rerumque origines ex intima eruere antiquitate : & cum præcipuæ solertis Jeti partes sint , non solum verba legum rimari , sed præterea earum mentem ex rationibus tum naturalibus tum politicis penitus introspicere , monente Celso (1): *scire leges non hoc est , verba earum tenere , sed vim & potestatem :* idcirco in earum rationes sedulq inquisivi , notavi diligenter Juris differentias , diversitatumque caussas indicavi , ut cuique ita simul pateficeret , & quæ in Foro obtinent Romanæ leges , & quo usque nostris hodie civilibus rebus negotiisque convenient , novisque obvenientibus applicari utiliter pos-sint . Denique rem omnem ita composui , ut singula traderentur oratio-ne perspicua , & minime abrupta ,
re-

(1) In l. 17 D. de LL.

refecta fere testimoniorum copia , quæ
stionum & notularum luxurie , quæ
sæpe juvenum animos in diversum tra-
here solent .

Damnabit forsitan quis , quod a
discrepantibus a Jure Romano mori-
bus legibusque nostris , quod & non
nulli faciunt , exponendis , prout res
flagitabat , abstinuerim ; damnari me
patiar , sed cum Merillio (1) , qui
non putat , quæ ad Fori trituræ usum
consuetudinesque cujuscumque loci per-
tinent , cum disciplina Juris Romani
conjungi oportere , maxime in Justi-
nianis hisce libellis explicandis , ne
tironum mentibus confusionem gignen-
rent ; ac consultius sane facturos , qui
ea silentio omnino prætermittunt , cau-
fatus : nè genuinam Juris Romani pul-
chritudinem inconcinna admixtione deve-
nuissent . In hanc ipsam sententiā
iverunt Huberus , Cornelius Van Eck ,
aliique quamplures . His accedit ,

b

quod

(1) *De temp. in Stud. Jur. prorog.*

xviii P R A E F A T I O.

quod Jura nostra , licet pauciora , aliis tamen , quam Romanæ leges , innituntur fundamentis , ac diversas habent caussas & origines , dissimilesque politicas rationes , ob quas illa a Principibus vel constituta , vel recepta sunt ; merent idcirco alia ratione tractari , eo præsertim quod in illis rite tradendis multa quoque alia requiruntur , quæ vel præteriri omnino , vel cursim attingi , vel cum priscis Romanorum moribus rebusque publicis confundi non debere , & res ipsa , & Auditorum profectus , & methodi lex & ratio postulare videntur .

En igitur , quæ mihi mens consiliumque fuit , ut mea hæc Juris Elementa typis describerem , publicæque luci exponerem : en quid in illis elaborandis levidensis mea opera efficerem potuit , ut tironum Juris studia pro virili parte adjuvarem . An vero quæ pollicitus sum adhuc , re ipsa præstiterim , absolverim , meamque fidem

dem liberarim , tuo subactissimo ju-
dicio , Humanissime Lector , lubens
committo , spērans fore profecto , si
quid forte peccatum sit , necubi apud
te patrocinium mihi deesset. Te jam
longiuscula præfatione defatigatum di-
mitterem , atque ad hæc protinus le-
genda invitarem , nisi & invidiæ de-
clinandæ , & existimationis meæ tue-
dæ caussa quædam adhuc monenda su-
peresse ducerem . Non deerunt ergo ,
quot quot glorioſo *Criticorum* titulo
superbi ambulant in hac Urbe , qui
me maledictis proſcident , laceſſent ,
famamque meam arrodent , imo meæ
hæc omnia una litura inducenda ex
tripode proferent . Cum iſtis fane ne-
bulonibus nulla mihi res eſt : ſpretis
enim e trivio eorum conviciis , ac
veluti de plauro in me conjectis ,
omnem de capite fortunisque meis
cendi facultatem cordatoribus æ-
quioribusque viris concedam , quibus
legitimi tribunaliſ notio eſt . Occur-

ret forsan aliquis, qui me aliena scri-
nia compilasse dicet, reumque cri-
minis legis Fabiæ postulabit? Judi-
cium sane hoc severissimum semper
habitum in Litteratorum Repub. non
defugiam, ac libenter cum eo litem
contestari patiar: paratam namque ha-
beo defensionem; primo objectum in
me crimen inficiabor: non enim alie-
na subripui, suppressi, in crimen pla-
gii non incidi; quia nec dolus ma-
llus, nec animus mihi intervertendi
fuit; & siquæ unquam ab aliis quasi
mutua acceperim, inque mea scri-
pta retulerim, testes advocavi, lauda-
vi, nomen feci, jus suum cuique tri-
bui. Sin verba, sententiasque inte-
gras ex aliorum commentariis descri-
pserim, quod me interdum fecisse non
diffiteor, tum quod nihil mihi magis
in votis est, quam ut diserto Erudi-
torum ore loquar, tum quod aptius
elegantiusque visum fuit, res ipsas ve-
nusta aliorum lingua conceptas potius
ex-

expromere, quam mea inconcinna oratione devenustare: si quis, inquam, id mihi criminis dederit, ad antategorias, si modo liceat, recurram; atque idem veteres recentioresque omnes Scriptores admisisse crimen, objiciam. Ad hunc igitur modum posse me usquequaque tergiversari confido. Sed tamen ipsi viderint: quantum ad hæc mea Elementa attinet, si modo conatus mei ad studiosorum juvenum commoda utilitatemque recta collineant, & amice conspirent, utcumque ab aliis accepti fuerint, haud quidem in magno ponam discrimine. Tibi vero, Amice Lector, si hæc prima meorum studiorum in Jurisprudencia tentamina non displicuerint, acrius mihi calcar additum existimabo ad alia majoris moliminis, quæ adfecta habeo, in vulgus edenda, Deo Auspice, *Prælectiones*, inquam, in Pandectas in usum quoque mei privati Auditorii concinnatas, non alio quip-

xxii

P R A E F A T I O.

pe fine, quam ut de meo otio simul
& negotio publice constare possit . Tu
interim his utere & vale .

Dabam Neap. Kalendis Octob. CICCI CCLXVI

ELENCHUS

TITULORUM ET PARAGRAPHORUM

L I B . R I I.

PRolegomena *Ad jus Civile.*

Proæmium.

pag. i-

Prolegomenon

Pars prima.

De Juris principiis.

CAP.I. *De justitia, & jure ad tit. I. Instit.*

§. I. *De juris nomine & significatio-
ne.* 4

§. II. *De justitiae definitione & divisio-
ne.* 4

§. III. *De jurisprudentiae definitione, præ-
ceptis, & partibus.* 8

CAP.II. *De juris Civilis fontibus ad tit. 2.*

Instit. de J. N. G. & Civ.

§. I. *De jure naturali.* 13

§. II. *De jure gentium.* 15

§. III. *De jure Civili, ejus indole, &
partibus.* 17

§. IV. *De legibus Populi.* 21

§. V. *De Plebiscitis.* 22

§. VI. *De Senatusconsultis.* 23

§. VII. *De Principum Constitutionibus.* 24

b 4 §. VIII.

§. VIII. De Jure Praetorio.	27
§. IX. De Prudentum Responsis.	28
§. X. De Jure non scripro.	30
<i>Prolegomenon</i>	
<i>Pars Altera</i>	
De Ortu & Progressu Juris Civilis.	32
CAP. I. De Jurisprudentia Anno Justinianea.	
§. I. De Juris Origine & de legib. Regiis.	33
§. II. Juris Romani historia sub Coss. Decemviris, ubi de LL. XII. Tabb.	35
§. III. Historia Juris Rom. post XII. Tabb. LL. usque ad Cæsares.	38
§. IV. Historia Juris Romani sub Cæsaribus.	43
§. V. Historia Jur. Rom. ab Hadriano usque ad Constantinum M.	48
§. VI. Historia Juris Rom. a Constantino M. usque ad Justin.	53
CAP. II. De Jurisprudentia Justinianea.	56
§. I. De Codice Justiniano, & de altero Repetita Praelectionis.	61
§. II. De Digestorum seu Pandectarum compositione.	64
§. III. De quatuor Institutionum libris.	66
§. IV. De Novellis Constitutionibus, siue Auctenticiis.	70

CAPUT III. ET ULTIMUM.

<i>De Facto Jurisprudentiae Justinianae, ejusque restaurazione.</i>	73
§. I. <i>De libris Basilicorum.</i>	78
§. II. <i>De Facto Jurisprudentiae Justiniane in Occidente.</i>	79
§. III. <i>De Juris Justinianei restauracione.</i>	89
<i>De Jure Personarum.</i>	
<i>Ad tit. III. Instit. b. l.</i>	
§. I. <i>De duplice hominum statu & qualitate.</i>	101
§. II. <i>De hominum divisione in liberos & servos.</i>	
<i>Ad princ. & ad §. I. II. & III. Instit. b. t.</i>	103
§. III. <i>De modis, quibus sunt servi, eorumque conditione, & de liberorum hominum differentia.</i>	
<i>Ad §. IV. & V. Instit. b. t.</i>	106
<i>De ingenuis</i>	
<i>Ad tit. IV. Instit. b. l.</i>	108
<i>De Libertinis</i>	
<i>Ad tit. V. Instit. b. l.</i>	
§. I. <i>De Liberarinorum nomine, de manumissionis origine, modis, & rite.</i>	
<i>Ad princ. & ad §. I. & II. Instit. b. t.</i>	111
§. II. <i>De triplici antiquo libertinorum statu</i>	

- Statu a Justin. sublato.
Ad §. III. Instit. b. t. 116
 Cui & quibus ex causis manumittere non
 licet.
Ad tit. VI. Instit. b. l.
 §. I. De legis Aelia Sentiae etate, &
 capitibus quibus libertas impeditur.
Ad princ. & ad §. III. IV. V. & VI.
Instit. b. t. 119
 §. II. De exceptione legis Aelia Sentiae,
 ejusque emendatione a Justin. facta.
Ad §. I. II. & VII. Instit. b. t. 124
 De Legi Fusia Caninia sublata.
Ad tit. VII. Instit. b. t. 127
 De His qui sui vel alieni juris sunt.
Ad tit. VII. Instit. b. t. 130
 De patria potestate.
Ad tit. IX. b. l. 133
 De Nuptiis.
Ad tit. X. Instit. b. l.
 §. I. Quae sint justae nuptiae ex sententia J. C.
Ad princ. Instit. b. t. 138
 §. II. De impedimentis nupiarum J. C.
 constitutis in linea recta & transver-
 sa cognationis.
Ad §. I. usque ad §. V. Instit. b. t. 143
 §. III. De aliis nupiarum impedimentis cum
 ratione adfinitatis, tum publicæ honesta-
 tis

<i>tis aliisque causis.</i>	
<i>Ad §. VI. usque ad XI. Inst. b. t.</i>	148
<i>§. IV. De paenitentia adversus veritas nupcias contrabentes.</i>	
<i>Ad §. XII. Inst. b. t.</i>	153
<i>§. V. De legitimatione ejusque modis.</i>	
<i>Ad §. ult. Inst. b. t.</i>	154
<i>De adoptionibus.</i>	
<i>Ad tit. XI. Inst. b. t.</i>	
<i>§. I. De adoptionis nomine, & definitione.</i>	
<i>Ad princ. Inst. b. t.</i>	161
<i>§. II. De adoptionis divisione in adrogationem & adoptionem in specie, ejusque effectu.</i>	
<i>Ad §. I. & reliquos Inst. b. t.</i>	163
<i>Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.</i>	
<i>Ad tit. XII. Inst. b. t.</i>	172
<i>De tutelis.</i>	
<i>Ad tit. XIII. Inst. b. t.</i>	
<i>§. I. De tutelæ etymologia, definitione, & divisione.</i>	
<i>Ad princ. & §. I. & II. Inst. b. t.</i>	184
<i>§. II. De tutela testamentaria, ejusque forma.</i>	
<i>Ad §. III. & reliquos Inst. b. t.</i>	189
<i>Qui Testamento tutores dari possunt.</i>	
<i>Ad tit. XIV. Inst. b. t.</i>	192
<i>De Legitima adgnatorum tutela.</i>	
<i>Ad tit. XV. Inst. b. t.</i>	200
	<i>De</i>

xxviii

<i>De capitis deminutione .</i>	
<i>Ad tit. XVI. Instit. b. l.</i>	205
<i>De Legitima patronorum tutela.</i>	
<i>Ad tit. XVII. Instit. b. l.</i>	216
<i>De Legitima parentum tutela .</i>	
<i>Ad tit. XVIII. Instit. b. l.</i>	217
<i>De Fiduciaria tutela .</i>	
<i>Ad tit. XIX. Instit. b. l.</i>	218
<i>De Atiliano tuteore , & eo qui ex l. Ju-</i>	
<i>lia & Titia dabatur .</i>	
<i>Ad tit. XX. Instit. b. l.</i>	
§.I. <i>De origine tutelæ Atilianæ ejusque faro.</i>	
<i>Ad princ. & §.III. IV. & V. Instit. b. l.</i>	219
§.II. <i>Quibus in casibus datur locus tutelæ</i>	
<i>dativæ .</i>	
<i>Ad §. I. II. & reliquos Instit. b. l.</i>	222
<i>De Auctoritate tutorum .</i>	
<i>Ad tit. XXI. Instit. b. l.</i>	224
<i>Quibus modis tutela finitur .</i>	
<i>Ad tit. XXII. Instit. b. l.</i>	229
<i>De Curatoribus .</i>	
<i>Ad tit. XXIII. Instit. b. l.</i>	
§.I. <i>De curæ differentiis a tutela , ejusque</i>	
<i>definitione & divisione .</i>	
<i>Ad princ. & §.I. & II. Instit. b. l.</i>	232
§.II. <i>De cura furiosorum , prodigorum</i>	
<i>& similium .</i>	
<i>Item de cura pupillorum .</i>	

Ad

<i>Ad §. III. IV. V. & VI. Instit. b.t.</i>	238
<i>De Satisfactione tutorum vel curatorum.</i>	
<i>Ad tit. XXIV. Instit. b. l.</i>	242
<i>De Excusationibus tutorum vel curatorum.</i>	
<i>Ad tit. XXV. Instit. b. l.</i>	
<i>§. I. Qua sit in usu Juris excusatio, &</i>	
<i>quoruplex.</i>	
<i>Ad princ. Instit. b. t.</i>	247
<i>§. II. De causis voluntariis.</i>	
<i>Ad princ. & §. I. usque ad XV.</i>	
<i>Instit. b. t.</i>	248
<i>§. III. De necessariis excusationum caussis,</i>	
<i>& de tempore & forma eas proponendi.</i>	
<i>Ad §. XVI. & reliquos Instit. b. t.</i>	254
<i>De Suspectis tutoribus vel Curatoribus.</i>	
<i>Ad tit. XXVI. Instit. b. l.</i>	258

Adm.

XXX

Adm. Rev. Dominus D. Joh. Baptista Gori S.
Th. Prof. O' Curia Archiep. Exam. Synod. revideat,
& in scriptis referat. Datum die 11. Septem-
bris 1765.

PHIL. EP. ALIFANUS VIC. GEN.
JOSEPH. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. PRINCEPS.

Juris Civilis Elementorum ad erudiendam studio-
sam Juventutem commentaria optime concinna-
ta a praeclarissimo Viro Dominico Mangieri Regio
Juris Professore Primario, te jubente E. P., sedula
cura perlegi: nihil eo in opere offerendi, quo Fidei
veritas, & Ethices Christiana detrimenti aliquid pa-
tiantur; suspexi potius ingenuam Auctoris Metho-
dum, profundaq; in obscuriori referanda rerum Ro-
manarum vetustate doctrinam, planam illam fluen-
temque scribendi facultatem, qua; ideam Juventutis
instituendæ adæquare sola videtur, hinc merito tua
accidente auctoritate imprimi posse censeo.

Kalen. Novembris 1766.

Obsequentijs. O' Humill. Cliens
Johannes Baptista Gori.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur.
Datum die 5. Novembris 1766.

PHIL. EP. ALIFANUS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Magn.

*Magn. U. J. D. D. Bernardus de Ambrosio
in hac Regia Studiorum Universitate
Professor, revideat & in scriptis refe-
rat. Datum Neapoli die 20. Novem-
bris 1765.*

NICOL. DE ROSA EP. PUT. C.M.

S. R. M.

Vir consultissimus & Collega integerri-
mus Dominicus Ant. Mangieri cum
novas profert Juris Civilis Institutiones, non
modo privatum, quod voluit, juvat au-
ditorium, sed publico studet commodo.
Præsto siquidem erunt omnibus elementa
nitidissima, admirabili perspectivatis luce
referta, ipsoque Triboniano plane digna.
Hinc eorum editionem nec sacris Majesta-
tis juribus, nec bonis moribus vel mini-
mum adversam maturandam censeo. Neapoli
XVII. Kal. Januarias A. C. D. C. C. L. X. V.

Bernardus Ambrosius.

Die

xxxii

Die 5. mensis Martii 1766. Neapoli.

Viso Rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 28. proximi elapsi mensis Septembris currentis anni, ac relatione U. J. D. D. Bernardi de Ambrosio de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris ordine præfataræ Regalis Majestatis.

Regalis Camera Sanctæ Clæræ prouidet, decernit, atque mandat, quod impri- matur cum inserta forma præsentis suppli- cis libelli, ac approbationis dicti Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pra- gmatica. Hoc suum.

GAETA. DE FIORE. PERRELLI.

Ill. Marchio Citus Præf. S. R. C. & Ill.
Caput Aulæ Vargas Macciucca tempore
subscriptionis impediti.

Reg. fol. 126.

Carulli.

Athanasius.

ELE.



PROLEGOMENA AD JUS CIVILE.

PROEMIUM.

Cum Juris Civilis scientia præ ceteris omnibus latissime pateat, multaque suo ambitu contineat, quæ non nisi continua annorum serie addisci possunt: imo cum plurium illa plena sit ambagium, pluribus que laboret difficultatibus, vobis consultum duxi, inclytæ spei Adolescentes, omnia initio, quæ ad eam faciliorem præstant aditum, summo digito præmonstrare, certaque methodo de iis edifferere, quæ vobis præcognita esse velim. Ea autem fuit Imperatori Justiniano mens atque consilium,

Tom. I. Lib. I.

A cum

cum priores duos libri i. titulos , ubi de *Justitia & Jure* , ac de *Jure Naturali , Gentium , & Civili* disputat , ad Juvenum captum præfixit , quasi prima hujus Artis Vos edocatur elementa . Refert apud Balduinum In *Præfatis de J. C.* Jo. Apellus , sese ad mare Balthicum in parva quadam bibliotheca vidisse antiquissimum *Institutionum* exemplar conscriptum tempore Lotharii II. Imp. ejusque dispositionem & oeconomiam multo aptiorem esse , quam sit ea , quæ hodie recepta est . Primi libri titulus erat de *Jure personarum* , priores vero erant quædam veluti *Institutionum* proæmia .

Præterea cum ad veram civilem sapientiam comparandam , quæ non modo in contemplatione ejus versatur , quod naturalis ratio æquitasque dictat , sed in historica etiam legum cognitione consistit , id maxime sit necessarium , res quasque quam altissime repetere ; & cum Jura civilia non omnia simul & semel enata & absoluta fuerint , sed primo ortum , dein tempore & rerum usu ita poscente , frequenter incrementa & mutationes acceperint , eorum caussas , origines , progressus , vicissitudinesque comperta habere ; quod non ipsa tantum rerum natura evidentissime evincit , sed &

Ve-

Veterum Sapientum probat au^rtoritas.
Nonne igitur sedulo inquirendum, quo se^e modo quidque quovis tempore habuerit,
quid & quatenus sublatum, innovatum,
mutatum fuerit: nec non morum, rituum,
totius denique historiæ ratio habenda no-
bis erit? Ne itaque Vos tot deterriti dif-
ficultatibus, animum a Jurisprudentiæ stu-
dio abducatis, dabo operam, ut illud ala-
cri libentique animo aggrediamini. Hæc
nunc me præstirum hisce Prolegomenis
Vobis policeor, ordinem hac in re Pande-
starum secutus. Primo de Juris principiis
agam, fontesque indicabo, unde illud ema-
nat. Secundo ejusdem Juris historiam per
varias temporum vices, variosque Reip.
Rœmanœ status bœviter delineabo, atque
cum Pomponio sapientissimo J^{et}o de ortu
& proressu Juris edisseram.



PROLEGOMENON

P A R S P R I M A

De Juris Principiis.

C A P U T I.

De Justitia & Jure ad tit. I. Instit.

§. I.

De Juris nomine & significatione.

Juri operam daturum, nosse in primis oportet, monente Ulpiano in *l. i. D. de J. & J.* unde juris nomen descendat, imitantem hac in re potissimum Stoicos, quos secutos esse Jetos Veteres pro comperito est; illi enim verborum proprietatibus, nominumque notationibus inquirendis dediti plurimum fuere; quam sane Philosophiae partem *rationalem* appellant, teste Seneca *epistol. 89.* Sed circa ista curiosos nimis & ineptos fuisse observant Viri docti, apud quos etymologia στυχιωτάτη pro *ineptissima* passim occurrit.

Profecto cum juris nomen multiplicis sit significationis, varias quoque continet

no-

notationes , quas exquirit Menagius *Amœnit. J. C. cap. 39.* Cum autem generatim accipitur pro lege , jus a *jubendo* denominatur . Cum vero *artem boni & æqui* denotat , jus a *justitia* appellatum vult *Ulpianus* in *l. i. D. eod.* idque hac ratione factum esse ostendit *Cujacius* adversus *Laurentium Vallam* in *l. i. D. de J. & J.* quia cum jus dicatur ars æqui & boni , justi vel injusti scientia , ars secundum Stoicos suo objecto posterior est , & ab illo descendit . Quare non grammaticalis , sed philosophica denominatio est .

Ceterum , ut modo diximus , jus apud nostros *Auctores* non unam habet significacionem , pluribusque modis dicitur , ut notat *Paulus* in *l. ii. D. eod.* Uno modo cum id , quod semper æquum ac bonum est , jus dicitur , veluti est *jus naturale* , & quicquid juste fit , & sic pugnant *jus & injuria* , *l. i. D. de injur.* Altero modo , quod omnibus aut pluribus in quaque civitate utile habetur , ut *Jus Civile & Prætorium* , quo civium utilitas potissimum spectatur . III. significat locum , ubi *Prætor* pro tribunali sedens jus reddit , unde apud *Latinos* *vocare in jus , rapere in jus* . IV. sæpe pro qualibet facultate a lege concessa usurpatur ,

tur, veluti in definitione actionis & usus-fructus; & generaliter quicquid ad aliquem pertinet, quicquid licet, conceditur, permittitur a legibus, *jus quoque appellatur*, ut *jus testandi*. Demum *jus potestasem* significat: hinc personæ *quædam alieni iuris*, id est in aliena potestate esse dicuntur; & cetera his similia, quæ prosecutus est Brissonius de *V. S. lib. 9.*

§. II.

De Justitiae definitione & divisione.

Cum omnis Juris omniumque legum finis Justitia sit, ut nempe *jus suum* cuique tribuatur, non immerito Justinianus *in princ. b. t.* a Justitiae definitione exordium sumit. Eam autem sic definit more Stoico Ulp. in *I. 10. D. eod.* *Est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Cum ait, *constans & perpetua voluntas*, indicat Ictus habitum voluntatis, sive animi constantem & perpetuam affectiōnem; omnes enim virtutes Stoici propositi constantia metiebantur. Hinc Cic. ait *lib. 3. de finib. Justitia est animi affectio suum cuique tribuens.* Sed cum Justitia ex non-

nonnullorum sententia in *personarum & actionum Justitiam* dividatur, illa enim respicit animi propositum, sive intentionem operantis, hæc vero effectum operis citra intentionem, clare ex his liquet, definitionem Ulpiani ad *Justitiam personarum* referri. Vide Muretum ad b. l. *Instit.*

Hæc de *Justitia* ejusque definitione: quæ de divisione afferunt communiter Interpretes in *universalem & particularem*, nec *Jcti*, nec *Just.* ullo in loco tradiderunt, ut observavit Contius *lib. 2. lect. cap. 7.* quemadmodum nec melior est altera divisionis Aristotelis in *distributivam & commutativam*: quarum illa proportionem Geometricam circa dignitatem poenaisque & præmia magis minusque dignis conferenda, hæc vero proportionem Arithmeticam inter res venditas, locatas, & permutatas observare dicitur, ut omnia ad æqualitatem redigantur; siquidem Grotius *lib. 1. de J. B. & P. cap. 1. §. 10.* huic divisioni varia inesse vitia demonstravit, atque alteram instituit huic affinem in *explorricem & attributricem*, quarum una consistit in præmiis & poenis cuique tribuendis pro meriti ratione; altera in civilibus hominum negotiis occupatur; cuique tribuens,

quod ex jure perfecto alter ab altero petere potest.

§. III.

De Jurisprudentiae definitione, præceptis, et partibus.

Exposita Justitiæ definitione, nunc ad Jurisprudentiam accedamus. Ea quoque ab Ulp. in *d. l. 10. §. 2.* more Stoico definitur *notitia divinarum atque humanarum rerum, justi & injusti scientia*. Prima quidem hujus definitionis pars ad Philosophiam proprie respicit, quæ communiter ita a Sapientibus describitur; sed quia ab eodem Ulp. Jurisprudentia appellatur etiam *Philosophia*, ideo *divinarum & humanarum rerum notitia* nuncupatur. Sed cur id ita dictum ab Ulp. sit, anxie quærunt Interpretes. Ego verisimilius puto, ostentatione quadam a Jētis id factum fuisse; nam cum a Veteribus Philosophis apud Cic. *lib. 2. de offic. cap. 2.* *Sapientia*, quæ est solida veritatis cognitio, definita fuerit *rerum divinarum atque humanarum Scientia*; quæ postea definitio Philosophiæ quoque accommodata fuit; cumque *Philosophia*

Sophie perinde ac *Sophia* nomen latius sumptum non eas tantum disciplinas , quæ divinarum humanarumque rerum scientiam exhibent , complectenteret , sed ad alias quoque facultates extensem esset , ita ut Grammatica , Rhetorica , & Critica Ars , quin & Historia , & Poesis non excluderentur , factum est , ut etiam Jurisprudentia ambitione quadam *Pbilosophia* diceretur ab Ulp. eodemque modo rerum divinarum & humanarum notitia appellaretur , ut ita Cultoribus atque Doctoribus ejus dignitatem & auctoritatem conciliaret maximam . Imo cum *Sapientis* nomen ad Deorum Sacerdotes eminentiore sensu delatum esset , facile patet , cur idem Ulp. Jurisprudentes appellari etiam *Sacerdotes* . Hæc cum non intelligeret Accursius in *I. 10. D. de J. & J.* vere sibi persuasit , Jurisprudentiam rerum divinarum notitiam continere , merito ab Hermanno Conringio *de Civilis Prud. cap. 3.* reprehensus , adeo ut affirmare non dubitarit , nihil opus esse Theologiz studio ad cognoscenda divina , ut quæ ex legum Romanarum libris affatim peti queat . Altera vero definitionis pars ad Jurisprudentiam propriæ spectat , quæ est *justi & in-justi scientia* , nimirum habitus intellectus , quo

quo nomine Jurisprudentia distinguitur a Justitia, quæ est habitus voluntatis.

Accedit, quod cum præcipua Philosophi partes habitæ sint, non solum veritatem investigare ad veram hominis felicitatem comparandam, sed virtutem etiam laudare, omnesque homines ad virtutis studium cohortari, id ipsum Jetis tribuere voluit Ulp., ait enim in d. l. i. §. 1. *Justitiam namque colimus, & boni & aequi nostram proficemur, aequum ab iniquo separantes, licetum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam premiorum quoque embortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes.* Hinc, quemadmodum Philosophi præcepta tradiderunt Philosophiæ, quibus homines ad virtutis studium incitarentur, ita & Jeti; siquidem præcepta juris, quæ in §. 3. b. t. proponit Justin., non sunt legum decreta vel definitiones, ut nonnulli existimant; sed Jurisprudentiæ, seu Civilis Scientiæ suasiones sive admonitiones ad Justitiam: etenim præcepere Latinis non est modo iubere, sed etiam docere & monere. Vide Noodt. in *Jul. Paul. cap. 10.*

Ex his autem patet, cur Ulp. dixerit,

Jctos

Jētos veram , non simulatam Philosophiam affectare ; intelligit enim *veram* activant Philosophiam , quæ boni & æqui notitiam non modo intellectu comprehendit , sed & in actione versatur . Contra *simulata* illam esse , quæ verbis & altercationibus cathedrariis tota consumitur , ut pulchro ostendit Ever. Otto in *Oras. 3. de Vera non simulata Jētorum Pbilosophia.*

Quod ad tria illa Jurisprudentiæ præcepta attinet , procul dubio sunt mere Stoica ex sententia Thomafii in not. ad b. 2. *Inst. Stoici* enim omne virtutis genus vel ad temperantiam referebant , ut est hic *beneſte vivere* , vel ad fortitudinem , veluti *neminem laedere* , vel ad Justitiam , ex qua descendit illud *jus suum cuique sribuere* . Ulpianus itaque perfecti Jēti partes adimplens , qui non modo æqui bonique notitiam proficitur , sed & quæ justa sunt , facit , veram non simulatam Philosophiam affectans ; imitatione Philosophorum tradit hæc tria universalia præcepta , quibus omne homini complectitur officium , sive *sūſiones ad Justitiam* .

Postquam de Jurisprudentia ejus fine & præceptis disseruimus , agamus nunc de ejus partibus . Inquit Ulp. in d. l. 1. §. 2. *bujus*

bujus Studii due sunt positiones. Vocat hic Jurisprudentiam Studium more Stoicorum, qui Philosophiam etiam appellabant *Studium*, teste Seneca epist. 72. & 89., quemadmodum dicuntur secundum Stoicos *positiones*, id est *themata*, *partes* vel *species*, quasi diceret Ictus, *bujus Artis due sunt partes*. Partitur autem hæc Ars in duas partes, in *Publicum Jus & Privatum*; & caussatur Ulp. in d. l. 1. §. 2. *sunt enim quædam publice utilia, quædam privatim.* Publicum jus est, quod ad cujusque Populi statum publicum spectat, & consistit in Juribus Summæ Potestatis circa omnia, quæ ad status sive reip. conservationem pertinent; & ut utar verbis ejusdem Ulp. quod *in Sacris, in Sacerdotibus, in Magistratibus consistit*. Privatum vero, quod auctoritate publica constitutum, ad utilitatem privatorum respicit, eorumque negotia dirigit, quare privatorum voluntate immutari nequit, l. 45. §. 1. D. de R. J. Utrumque tamen Jus tum Publicum tum Privatum, ut optime observat Noodt lib. 2. observ. cap. 21. ex præceptis Naturalibus, Gentium, & Civilibus constare certum est.

CA-

C A P U T II.

*De Juris Civilis Fontibus ad tit. 2. Instit.
de J. N. G. & Civ.*

§. I.

De Jure Naturali.

Fontes, e quibus jus privatum emanat, tres facit Ulpianus in *d. l. 1. §. 2.* jus Naturale, Gentium, & Civile. At Casius duos tantum agnoscit, jus Naturale, & Civile, siquidem tum ipse, tum Paulus, solam intuentes hominis naturam, jus naturæ, & gentium, quod ratio naturalis inter omnes homines constituit, pro synonymis habuerunt, *l. 2. C. 4. D. de R. D. l. 1. D. de A. R. D.* Ulpianus igitur in *l. 1. §. 3. C. 4. D. de J. C. J.* primo proponit juris naturalis definitionem; ait enim illud esse, quod non solum hominum, sed ceterorum quoque animantium commune sit, cum illud natura cetera omnia animalia docuerit; atque in eo a Jure Gentium distingui, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune sit.

Hanc

Hanc quidem definitionem, quam insolentem & absurdam Balduinus in *not. ad l. i. D. de J.* & *J.* falsam Salmasius *de usur. cap. 9.* & Grotius *lib. i. de J. B. & P. cap. i. §. 11.* nullius usus esse prouantiarunt, nonnulli ita explicare satagunt, ut sub juris nomine Ulpianus intellexerit naturæ ordinem, sive illum intestinum impulsum, qui ab aliis *naturæ instinctus* appellatur, quo homines ceteraque animalia moventur ex imperio Summi Motoris, atque ita feruntur ad sui defensionem, liberorum procreationem, educationemque. Qui quidem naturæ ordo, seu stimulus, quoniam omnibus animalibus a Deo inditus est, etiam juris nomine venit apud Veteres, ceu probant Rævardus *lib. i. Varior. cap. i.* & plenius Samuel Coccejus *in Jure Civ. contrrov. tit. i. q. 5.* Huc igitur referendam esse putant Ulpiani de jure naturæ definitionem.

At quoniam aliud est jus, sive ordo, sive naturæ lex, qua omnia necessario moventur ex voluntate Creatoris, aliud jus, quod obligationem inducit, ad quam sane constituendam requiritur omnino in agente intellectus & libera voluntas. Quare alia nunc querenda est juris naturalis definitio, quæ

que non aliunde petenda est, quam e natura hominis peculiari, in quem lex cadere potest, utpote qui recta ratione & libera agendi facultate praeditus est. Ab hac igitur hominis natura rationali Cic. hoc Jus repetit lib. I. de legibus cap. 5. & 6. illudque describit: quod sit ratio summa insita in natura, que juber ea, que facienda sunt, prohibetque contraria. Hinc saepissime apud Jctos vocatur modo ratio naturalis, modo aequitas naturalis. Sed ut rectius rem explicem, illud sic breviter definiri potest, quod sit lex a Deo constituta, per hominum naturam, sc. rectam rationem promulgata, obligans omnes homines, ut officia adimplant erga se, alios, & Deum ad sui socrorumque felicitatem procurandam: quod expressit etiam Grotius lib. I. de J. B. & P. cap. I. §. 10.

§. II.

De Jure Gentium.

SEquitur nunc, ut quid sit Jus Gentium, inspiciamus. Illud quidem in jure nostro §. I. b. t. describitur, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud

apud omnes Gentes peræque custoditur :
quæ descriptio simul cum jure naturali con-
venit; quoniam apud Jctos Veteres explo-
ratum est, jus naturale & jus Gentium
pro synonimis plerumque haberi, quasi
jus proprium omnium hominum & popu-
lorum.

Interpretes vero tum Veteres, tum Recentiores jus Gentium a jure naturali omnino distinguunt, nec immerito; putant enim illud derivatum esse ex instituto & voluntate moratiorum Gentium, ideoque *voluntarium* etiam appellant; siquidem Gentes, usu exigente & humanis necessitatibus, jura sibi constituerunt, ipsa naturali ratione dictante, veluti sunt, quæ circa bella, legationes, represalias, captivitates, commercia, contractus pene omnes, & cetera hujusmodi apud cultiores populos obtinuerunt: quod quidem jus, quoniam recta hominum ratio introduxit per illationem quamdam ex ipso Jure Naturæ, usus & consensus populorum ob perspicuam utilitatem approbavit, in commune hominum jus transiit, atque vim obligandi apud ipsos factum est.

Hæc autem, quamvis a nonnullis Clas-
 xissimis Viris aperte impugnantur, a Justin.

ta-

tamen in §. 2. b. t. & ab Hermogeniano in l. 5. D. de J. & J. perspicue traduntur; atque hoc est ejus Gentium a natu- rali distinctum, quod jus Gentium *hypotheticum*, alii appellant, eo quod agit de rebus, quæ voluntatis humanæ actum con sequuntur, & quod barbari Glossatores dixerunt *jus naturale secundarium*.

§. III.

De Jure Civili, ejus indole, & partibus.

Exposita igitur juris Naturalis & Gentium definitione, nunc quid sit jus Civile, quæve ejus partes inspiciendum. Ait Justin. in §. 1. b. t. & Cajus in l. 9. *D. de J. & J.* iūs Civile esse, *quod quisque populus ipse sibi constituit*, additque ita vocari *Jus Civile, quasi proprium ipsius Civitatis*. Civitas enim heic notat hominum cœtum sub eodem summo imperio, eisdemque legibus consociatum. Ejus autem vis & auctoritas pendet a voluntate ejus, qui in repub. summum habet imperium, id quod Scholastico more *Jus Civile positivum* appellamus. Respicit vero hoc jus potissimum ad utilitatem omnium vel plu-

Tom. I. Lib. I.

B rium

rium civium; quod indicat Paulus in *I. I. S. D. de J. & J.*, cum ait, *jus hoc sensu acceptum significare, quod omnibus aut pluribus in quaque civitate utile habetur.*

Revera hujus Juris objectum utilitas ci-
vium est, nam, quæ sunt decorsi & hone-
sti, ea a Jure Naturali, vel Gentium
emanant. Hinc leges ad finem Civitatis &
genium Civium potissimum accommodantur:
quæ certe causa est, cur varium sit apud
diversas Gentes Jus Civile, quinimo sæpe
apud eundem populum mutabile, ut de-
monstrat Just. §. 11. b. t. & exemplis illu-
strat Theophilus in *princ. b. t.* Facit ad rem
illud Livii lib. 34. cap. 6. sic quas tempora
aliqua desiderabant leges, mortales, ita ut di-
cam, & temporibus ipsis mutabiles esse vi-
deo. Quæ in pace latæ sunt, plerunque
bellum abrogat; quæ in bello, pax; ita ne
in navis administratione, alia in secundam,
alia in adversam tempestatem usui sunt.
Contra jus naturale immutabile est, siquidem
cum a Deo sit constitutum, nec non ipsius
naturæ humanæ proprium, necessario conse-
quitur mutationi minime obnoxium fore.
Quid de Jure Gentium voluntario, an
istud quoque mutabile sit? mutari quidem
posse non diffiteor, idque ex eo dignosci-
tur,

tur, quod recens Jus Gentium in multis ab illo vetere discrepat.

Proposita juris Civilis definitione & iadole, nunc, quæ ejus partes, videndum. Duas quidem facit Justin. in §. 3. b. t. & Ulpian. in l. 6. & 7. D. de J. & J. nempe *jus scriptum*, & *non scriptum*. Jus scriptum idem est, ac *leges Populi*, *Plebiscita*, *Scta*, & quæ in formam legis promulgantur. Jus autem non scriptum dicitur *consuetudo*, & *populi mores*, qui licet postea sint scripti, cum tamen ad eorum spectemus originem, non ut leges promulgantur, obtinentque etiam vim legis, quoniam nihil refert utrum is, qui summum habet imperium, voluntatem suam verbis, an factis, expresse, an tacite declareret. Hinc apposite observavit Noodt lib. 1. Probab. cap. 2. & 3. quoties in Jētorum Veterum fragmentis hæc formula occurrit, *boc jure utimur*, *jus non scriptum* sive *consuetudinem designari*.

Species autem juris scripti sunt hæc, *Leges Populi*, *Plebiscita*, *Scta*, *Placita Principum*, *Edicta Prætorum*, & *Prudentum Responsa*. *Lex* vero dupli sensu accipitur, ideoque dupliciter definitur. Cum sumitur in latiore sensu, definitur *juxta Chrysippum*

in l. 1. D. de LL. quod sit regula iustorum & injutorum. Papinianus vero in l. 1. D. eod. ait, quod sit commune præceptum, virorum Prudentum consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrabuntur, coercitio, communis Reip. sponsio. Dicitur commune præceptum, quia, ut docet Ulp. in l. 8. D. eod. jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. Est quoque lex coercitio delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrabuntur, nempe tam illorum, quæ dolo malo facta sunt, quam quæ perturbato animo vel per imprudentiam sunt patrata. Demum dicitur lex communis Reip. sponsio, habita ratione ad modum ferendæ legis, sc. Magistratus rogantis & Populi respondentis. Sed hoc minus apte dictum est a Papiniano, nam lex proprie non est sponsio, sed iussum ex illa sponsione profectum. Melius quidem Aristoteles illam definivit de Reror. cap. 1. *Lex oratio quedam est, quæ communi civitatis consensu definita, jubet, quo pacto unumquidque agendum sit.*

Omnis autem legis in genere virtus & natura est illa, quam expressit brevius & elegantius Modestinus in l. 7. D. eod. legis virtus est imperare, vetare, permittere,

pu-

punire. Verat namque lex omnia, quæ sunt contraria. Imperat, quæ sunt simul utilia & honesta. Permittit vel cum demit poenam, si aliquid indulgeat majoris mali evitandi gratia, ut de concubinatu observat Ulp. in l. 3. §. 1. *D. de Concub.* vel cum cavit, ne quis in eo, quod permittitur, ab alio impediatur, constituta in impedientem poena. Denique postrema legis virtus est *punire*, ne fontes, qui adversus leges committunt, impune id facere videantur. Hinc *sanc>io* dicitur illa legis pars, quæ poenas minatur, & leges ipsæ dicuntur *Sanctæ*.

§. IV.

De legibus Populi.

Diximus de lege in latiore sensu, dicamus nunc, quid sit in strictiore vocabulo sumpta: eam enim sic definit Justin. in §. 4. b. t. *lex est, quod Populus Roman. Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat.* Hæc sane respiquant ad modum ferendæ legis apud Romanos, quæ fiebat solemni Magistratus majoris, veluti Consulis, Dictatoris, rogatione per illam formulam: *velitis, bea-*

beatis, Quirites, uti rogo &c. Unde illa
verba *rogare, abrogare, derogare, & similia.*
Rogare est, cum lex suffragiis populi san-
ctetur, *abrogare*, cum tollitur, *derogare*,
dum quoddam ejus caput aboletur. Vide
Heineccium *Antiq. Rom.* lib. 1. c. 2. §. 1.
& seqq.

§. V.

De Plebiscitis.

Secunda vero Juris Romani scripti spe-
cies est *Plebiscitum*, quod definitur,
quod plebs plebejo Magistratu rogante, ve-
luti Tribuno, constituebat: scitum enim idem
est, ac statutum. Plebiscita quidem eodem
ferme modo, ac ritu, quo ipsæ leges con-
debantur, nisi quod legem Superior Magi-
stratus, Plebiscitum Trib. Pleb. interroga-
bat. Illa universo Pop. suffragante, hoc
a Plebe tantum sanciebatur sine Patricio-
rum intervenitu. Hinc quæstum fuit,
utrum Plebiscitum ad Patricios quoque per-
tineret? & sane cum sine Patriciis condi-
tum esset, illos obligare non poterat. At
inde post multas inter Patricios & Plebe-
jos dissensiones demum statutum fuit, ut
et-

etiam ad illos pertineret., primum lege Horatia A. U. 306 deinde Publilia A. 414. demum cum Plebs A. 467. in Janiculum secessisset , lege Hortensia lata a Q. Hortenio Dictatore d. §. 4. b. r. Quare factum est , ut Plebiscita etiam leges dicerentur , veluti *lex Falcidia* , *lex Aquillia* &c.

§. VI.

De Senatusconsultis.

ADjicitur in §. 5. b. r. *tertia Juris scripti species*, quæ *Senatusconsultum* continet , quod definitur , *quicquid Senatus jubente , decernebatur*. Tempore liberæ reip. *Senatus legislatoriam potestatem non habebat* , sed super quædam negotia , quæ illius curæ commissa erant , decernebat , nisi impediretur a Tribunis Plebis , tunc enim res deferebatur ad Pop. *Conditum vero Senatusconsultum tunc demum ratum erat* , si Pop. probasset , vel Tribunis Plebis placuerisset .

Hæc de *Senatus auctoritate tempore reip. liberæ* , sed postquam Tiberius aliquique *Imp. tyrannica arte præcipue sub præ-*

B 4 te-

textu , quem innuit Justin. in §. 5. b. t. paulatim transtulissent Comitia a Campo ad Curiam , potestate nempe legislatoriam a Populo ad Senatum , non ambigebatur tempore Ulp. ut ipse testatur in *I. 9. D. de LL.* Senatum jus facere posse. Hinc observamus , saepe sub Ann. condita fuisse Senatusconsulta , praecedente tamen *Principis oratione* vel ab ipso Imper. vel ab ejus Quæstore recitata , in cuius sententiā adulationis ergo semper Senatusconsultum conficiebatur , auctore Tacito *lib. II. Ann. cap. 85.* Quare saepe dicitur *cautum oratione Principis* , quod Senatusconsulto constituebatur .

§. VII.

De Principum Constitutionibus.

Sequitur in §. 6. b. t. quarta Juris scripti species , nempe *Principum Constitutiones* ; ait enim Ulp. quod *Principi placuit* , *legis habet vigorem* ; quare *placita dicuntur* , quæ sunt a Principe constituta , vel generali vocabulo *Constitutiones* . Itē tamen distinguunt *Constitutiones a rescriptis* , & *decretis* . *Rescripta* sunt , cum Princeps re-

rescritbit ad libellos vel Magistratum, vel privatorum, quæ etiam vocantur *subnotationes* & *adnotationes* in l. 6. C. de divers. rescrip. vel literæ, sive epistola. Decreta, cum Imp. decernit cognita caussa. Constitutiones contra sive *edicta* sunt, cum aliquid novi Princeps inducit, vel vetus jus abrogat.

Sunt vero Constitutiones vel personales, quæ ad unam personam pertinent, vel generales, quæ ad omnes. Personales quidem personam non transgrediuntur, & proprie illæ veniunt, quibus Princeps aliquid cui-dam indulget ob merita, citra tamen alterius injuriam, vel cum aliquam graviorem poenam irrogare vult nominatim. & personaliter, quæ tamen ad exemplum trahi non debet. Hinc clare patent illa verba legis XII. Tabb. *privilegia ne irroganto*, id est *pœnas extraordinarias*: privilegium enim, et si in bonam partem accipi solet, hic tamen in deteriorem accipitur, quia verbum *irrogare* de poenis dicitur. Generales contra Constitutiones sunt, quæ non ad unam tantum personam pertinent, sed cum sint generales, omnes procul dubio tenent.

Præterea, cum ex Ulp. referat Justinianus

nus in d. §. 6. penes Principes translatam fuisse potestatem legislatoriam per legem, quam *regiam* hic vocat idem Ulp. & in l. i. D. de *Constit. Princip.* putat Gronovius in *Orat. de lege Regia*, cui etiam adstipulatur Noodt in *Orat. 3: de Jure Summi Imperii*, hanc legem nihil aliud esse, quam quod Pop. Rom. vel Senatus primum Augusto post tot dissidia civilia aliqua concessit privilegia. E. g. A. U. C. 724. ei tribuit in perpetuum potestatem Tribuniciam, cautumque fuit, ut ad Augustum provocare fas esset. Similiter A. 735. fuit & illi concessa potestas leges pro arbitrio emendandi, & quas vellet, ferendi. Demum, data ei fuit totius Imperii administratio & pacis bellique potestas. Hæc & alia inde privilegia, quæ Senatus Populusque Rom. primum Augusto, postea ceteris Impp. repetita concessit, confirmata deinceps Monarchica Impp., potestate sub Antoniniis, a JEtis appellata fuere *Lex Regia*: qua Populus initio cum Augustis potestatem communicasse videtur, non vero ab illa se abdicasse, ut perperam nonnulli autumant, decepti fortasse a Triboniano in §. 6. b. 2. quos refellit Noodt lib. I. obseru. cap. 3.

§. VIII,

§. VIII.

De Jure Prætorio.

Quinta Juris scripti pars designatur in §. 7. b. s. continetque *Jus Prætorium* sive *Honorarium* sic appellatum, ut nonnullis sedet, quia constitutum est a Prætoribus, qui *honores*, sive *magistratus* gerunt. *Prætores* autem Romæ primum creari cœperunt A. U. C. 389. ut vice Consulis, imo instar Consulis Collegæ juris dicundi potestatem haberent, ideoque erant, tanquam *viva vox Juris Civilis*, ut ait Marciānus in *I. 8. D. de J. & J.* nec poterant leges tollere, vel mutare, cum solius Pop. in libera rep. hæc potestas esset.

Verum ad supplendum legum defectum, quæ ex sententia Juliani in *I. 10. D. de LL.* non ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, nec non ad emolliendam, sive corrīgēdām Jurisconsultōrum Veterum interpretationem, quæ primis Fori Romani incunabulis nimis litteralis erat, eoque aspera & dura, quæque *Jus Civile* olim dicebatur, *Prætores* idcirco propter summam æqui-

ra-

tatem utilitatisque Jus Prætorium introduxerunt non alio fine , ut indicat Papin. in l. 7. §. 1. D. de J. & J. quam adjuvandi vel supplendi vel corrigendi juris Civilis gratia. Constituebant autem Prætores hoc jus , edicta proponendo in *Albo* sive in tabula dealbata , vel albi coloris de omnibus iis , quæ volebant observari toto anno sui magistratus , salvis tamen Legibus , Plebiscitis , & Senatusconsultis , quibus omnino parendum erat . Juri Prætorio additur etiam jus *Ædilitium* , quod *Ædiles* edictis constituebant de iis , quæ ad eorum pertinebant jurisdictionem ; istis enim commissa erat Civitatis annona , *Ædium Sacrarum* publicarumque viarum cura , inspectio de rebus venalibus . De his similibusque *Ædiles* proponebant edicta , quæ etiam dicuntur in §. 7. b. r. esse portio juris honorarii .

§. IX.

De Prudentum Responsis.

Proponitur demum in §. 8. b. r. sexta & ultima Juris scripti species , quæ continet *Responsa Prudentum* . Hæc autem in libera rep. vim legis non habebant , nisi

nisi quæ consensu Pop. & usu Fori essent recepta ; quapropter dicuntur *receptæ sententiae*, *receptum jus*, & per eminentiam saepe *Jus Civile* apud Jurisconsultos , teste Pomponio in l. 2. §. 5. *D. de O. J.* Postea Augustus quibusdam dedit potestatem publice de jure respondendi , id est leges interpretandi , cum essent ambiguæ , & casus dubios decidendi , cavitque , ut Judicibus ab eorum responsis in judicando receders . fas non esset , teste Seneca *Epiſt. 94.*

Attamen eorum responsa vim legis non habebant , nisi essent moribus vel Principum rescriptis confirmata ; cuius rei plura in Jure nostro suppetunt exempla . Donec Theodosius Junior Imp. constitutione illa , quæ extat in l. unic. C. Tb. *de respons. Prud.* aliqua Jurisconsultorum scripta probavit , constituitque , ut vim legis haberent ; quem imitatus Justin. eamdem tribuit auctoritatem omnibus iis Jurisconsultis , quorum scripta , responsa , & sententias in Digesta contulit ; quamobrem factum est , ut responsa Prudentum inter species Juris scripti adnumerarentur §. 8. b. i.

§. X.

De Jure non Scripto.

HÆc de Jure scripto ejusque partibus, nunc ad Jus non Scriptum accedamus, quod non in formam legis promulgatur, sed moribus & consuetudine introducitur. Est autem consuetudo tacita populi voluntas, quæ, ut vim potestatemque legis obtineat, tria hæc desiderat. I. ut sit diuturna, cuius tempus, quantum existimandum est, quoniam non est in jure expressum, judicis arbitrio relinquitur l. i. D. de J. delib. II. ut ex actuum frequentia constet l. i. C. quæ sit long. consuet. Sed quomodo hæc frequentia dijudicanda sit, incertum est; idcirco Judicis arbitrio quoque relinquitur. III. ut naturali ratione non repugnet, alioquin non consuetudo, sed abusus denominari debet; non enim valet, quod non ratione, sed errore introductum est l. 39. D. de LL.

Consuetudinis porro effectus sunt *legem imitari* §. 9. b. t. quia, ut superius innui, parum refert, utrum populus, vel qui summum habet imperium, tacite, an ex-

pref-

presso, verbis, an factis suam declareret voluntatem. Item legem scriptam interpretari, si legis sententia ambigua fuerit, quare dicitur consuetudo *optima legum interpres* l. 37. D. cod. Denique effectus consuetudinis est *novum jus inducere, vetus abrogare, vel in aliqua parte mutare* d. §. 9. b. r. Hactenus de juris principiis, nunc ad historiam alterum gradum faciamus.



•PRO

PROLEGOMENON

PARS ALTERA

De Ortu & Progressu Juris Civilis.

Juris Civilis historia procul dubio pars est nostræ Jurisprudentiæ, quo utilior, eo quidem difficilior, & ut plurimum apud Veteres Rei Romanæ Scriptores neglecta, si solum excipias Dionysium Halicarnassensem, qui de legibus earumque interpretatione quædam non contemnenda notavit, cum ceteri vel parum vel obiter quid de Rom. legibus nobis prodiderint. Imo Veterum monumentis hac de re penitus caruissimus, nisi Triboniani diligentia adhuc superstes esset. Pomp. fragmentum in l. 2. D. de O. J. Tribus nunc eam capitibus complectar: in primo namque juris originem dabo & progressum usque ad Justin. quam Juris periodum tum sub Regibus, & Decemviris, tum sub Coss. & Impp. non male appellaveris *Jurisprudentiam Ante-Justinianam*: quo quidem tem-

temporis intervallo non unam subiere mutationem Romanæ leges . In secundo Jurisprudentiæ a Justiniano partim restitutæ , partim immutatae historiam pertexagi . In tertio demum de illius fato edisseram in Oriente post Justin. obitum sub Græcis Impp. ejusque in Occidente restauratione ad hæc usque tempora .

C A P U T I.

De Jurisprudentia Ante-Justinianeæ.

§. I.

**De Juris Origine & de legib. Regiis.*

Pomponius agens de Origine Juris in l. 2. §. 1. D. de O. J. ad rem notat , Pop. Roman. initio nullas habuisse proprias leges scriptas , sed moribus & consuetudine vixisse pro veterum Latii incolarum & Albanorum instituto , data Regibus potestate judicandi , editaque proponendi de iis , quæ ad remp. pertinebant , & quæ legibus & moribus patriis nondum erant definita ; id enim sibi vult Pomponius illis verbis in d. l. 2. §. 1. initio Romæ Popu-
Tom. I. Lib. I. C lus

lus sine lege certa , sine jure certo primum agere instituit , omniaque manu a Regibus gubernabantur . Ubi Manus notat arbitrium & potestatem . Postea Romulus , ut tradit Livius lib. I. cap. 8. vocata ad Concilium multitudine , quæ coalescere in pop. unius corpus , nulla re , præterquam legibus poterat , jura dedit in Comitiis Pop. Curiatis , quæ ab ipso Romulo instituta erant , unde leges Curiatæ dictæ sunt . Inter istas Romuli leges eminet illa , quæ de patria in liberos potestate lata fuit , de qua suo loco agemus .

Secutus inde Numa Pompilius , quicquid erat a Romulo institutum , non immutavit , sed quæ ille prætermisit , supplevit . Hic primus auctor perhibetur Juris Pontificii , multa constituens circa cultum sacrorum , Sacerdotumque classes institutas . Jura quoque dederunt ceteri alii Reges . Sed præcipiuss legum Rom. auctor extitit Servius Tullius , teste Tacito lib. 3. Ann. cap. 26. Omnes autem istæ leges Regiæ accommodatae ad finem reip. , qui tunc in potentia bellica consistebat , adeoque rules & severæ , a Tarquinio Superbo uno edicto abrogatae fuerunt , teste Dion. Halicarnas. Antiq. lib. 5. cap. 2. Verum illo

illo ex urbe pulso , non multo post in
unum eas collegit C. Papyrius Pontifex
Max. quæ collectio vocatur a Pomp. in
d. l. 2. §. 2. *Jus Civile Papyrianum.*

§. II.

*Juris Romani bistoria sub Coss. & Decem-
viris, ubi de LL. XII. Tabb.*

C Um jam A. U. C. 244. Reges Urbe
ejecti essent , resp. a Coss. vice re-
gum gerebatur , quare ad ipsos eadem ju-
dicandi potestas & edicta proponendi delata
est , teste Dionysio lib. 10. cap. 1. Quod
vero ad reip. formam attinet , jam Valerius
Publicola A. 245. legem tulit , qua Populi
potestas sive *Democratia* confirmabatur , &
ob id dicta est *Valeria* ; quippe hac provoca-
tionem concessit a Coss. ad Populum , si-
militer jussit mori , qui magistratum sine
Populi suffragio sumisset . Postea ob ri-
miam Consulum Senatorumque domina-
tionem , qui in rep. *Aristocratiā* affecta-
bant , cum Plebs secessisset in Montem
Sacrum , res ita composita fuit , ut consti-
tuerentur duo Tribuni , tanquam Plebis
Magistratus *sacrosancti* , qui potentia Pa-

triciorum aliorumque Magistratum insolentiae adversus Plebem resisterent. Hinc rogantibus Tribunis a Plebe saepe condita fuisse Plebiscita, exploratum habemus.

Quod autem ad leges spectat, indicat idem Pomponius in *d. l. 2. §. 3.* quod sicuti initio Civitatis Pop. sine jure certo vivebat, sic odio Regum obsoletis legibus, quas illi tulerant, ad priorem caussam rediit. Consules enim arbitrio suo jura inter privatos reddebant, atque pro lubitu edicta proponebant: & quamquam postea revocatae fuerint omnes leges Regiae, sed quia tamen ita pauciores erant, neque omnes comprehendebant casus, de quibus controversiae oriri solent, ideo a Magistratibus Jurisdictione, imo potius arbitrio supplebatur. Non tulit Populus Romanus libertatis cupidus amplius se suaque Magistratum arbitrio committere, nam, ut recte observat *Cic. lib. 9. epist. 16.* *omnia incerta sunt*, cum a jure discessum est; nec praestare quisquam potest, quale futurum sit id, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine; ideoque libertatis amore flagrans de publicis privatisque negotiis leges certas flagitabat.

Quapropter post multas inter Plebem
&

& Patricios dissensiones A. U. C. 293. promulgata est lex Terentia a Terentio Arsa Trib. Plebis de Decemviris creandis, qui leges omnibus negotiis publicis privatisque scriberent; cujus rei gratia missi fuere tres Legati in Græciam ad Solonis vetustas leges aliarumque Civitatum instituta moresque noscendos. Postea creati fuererunt Decemviri, ut leges statuerent, & judicarent sine provocatione ad Pop. Iste leges tum ex iis, quas Legati e Græcia retulerant, tum ex LL. Regiis, tum ex patriis consuetudinibus conscriptas in decem Tabb. proposuerunt, quibus quia aliquid deesse visum fuit, Appius Claudius duas alias adjectit. Hæ igitur XII. Tabb. leges, quas Pop. A. U. C. 303. centuriarum suffragiis probaverat, *fons erant omnis publici privati que Juris Romanorum*, teste Livio lib. 3. c. 34. quas cunctis Philosophorum omnium bibliothecis anteponendas, putabat Crassus apud Cic. de Orator. lib. 1. cap. 44.

§. III.

*Historia Juris Rom. post XII. Tabb. LL.
usque ad Cesares.*

LAtis XII. Tabb. LL. cœpit, ut *natura-liter evenire solet* (ait Pomp. in d. l. 2. §. 5.) *disputatio Fori*, & *interpretatio Prudentum*, dum pauciores essent leges & nimis generales, quæ ad singula facta applicari minime possunt. Isti igitur & Caussarum Patroni modo *responsis*, cum consulētibus de jure responderent, modo legum interpretatione, modo Fori disputatione varios casus decidere conati fuerunt. Hæc tamen Prudentum *interpretatio* initio grammatica erat & nimis litteralis, omni exclusa logica interpretatione; quapropter aspera fuit & durior, jusque *strictum* & *asperum* constituebat, ita dictum, quod nimis aspere verbis legum alligatum esset. Procedebat sane hæc interpretandi ratio ex superstitione verborum legis cultu, quibus adeo inhærebat Veteres XII. Tabb. Interpretes, ut omnem vim in illis constituerent, veram autem earum mentem ex æquitate investigandam profus desererent. Cum vero hæc *interpretatio* usu Fori recepta esset & approbata, tantam

tam postea nacta est auctoritatem , ut per eminentiam *Jus Civile* appellaretur , teste Pomp. in *d. l. 2. §. 5.*

Promovit vero admodum hanc litteralem interpretationem illud Patriciorum institutum , qui , mox legibus XII. Tabb. publicatis , *actiones legis* composuerunt . Dicebatur olim *lege agi* , quicquid in jure rite & jure peragebatur . Erant autem *actiones legis* actus tum contentioꝝ tum voluntariaꝝ jurisdictionis quibusdam ritibus & formulis ex ipsis legum verbis compositis explicandi apud Magistratum , apud quem legis actio erat , sive apud quem lege agi poterat . Dixi tum contentioꝝ tum voluntariaꝝ jurisdictionis , hoc tamen habito discrimine , quod actiones legis in contentiosa jurisdictione erant formulæ , quibus homines inter se disceptarent , adnotante Pomponio in *l. 2. §. 6. D. de O. J.* & sunt exempla in actionibus personalibus & in rerum vindicationibus . Actiones vero legis in voluntaria siebant quidem apud Magistratum , sed sine disceptatione , veluti *manumissio* , *emancipatio* , aliaque . Quandoque in Jure , ut in *l. 4. D. de adopt.* & alibi passim , cum actibus legitimis confunduntur . Attra- men *actus legitimi* ab actionibus legis se-

C 4 du-

dulo distinguendi sunt, nam hi sine Magistratus auctoritate intra privatos parietes expediri solebant, quales erant *bereditatis aditio, servi optio, mancipatio, acceptatio*. *l. 7. D. de R. J.* & ibi Jacob. Gothof.

Omnium autem harum formularum, sive legis actionum scientia, ut eo majorem illis religionem concitarent, apud Pontificum Collegium deposita erat, ut ait Pomp. in *d. l. 2. §. 6.* quemadmodum & dierum, quibus agendum, vel non, qui *dies fasti & nefasti* appellabantur. Sed cum Appius Claudius Cæcus has legis actiones in certam redegisset formam, Cn. Flavius Scriba A. U. C. 449. ejus liberti filius subreptum librum Populo tradidit, fastosque dies sive judiciales ei patefecit, exinde appellatum fuit *Jus Flavianum*. Itē autem postea novas alias vulgo parum notas composuerunt, ideoque notis non litteris conscriperunt, ut censet Cujacius in *Not. ad l. 2. §. 7. D. de O. J.* ut in omnibus negotiis eorum opera desideraretur. Eas vero denuo evulgavit Sextus Ælius Catus, unde natum *Jus Ælianum* *d. l. 2. §. 7. a.* quo non differre videntur ex nonnullorum sententia ejusdem Sex. Ælii *Tripartita*, quæ veluti Juris cunabula continebant, ita

ita dicta, auctore Pomp. in *d. l. 2. §. 38.*
quoniam lege XII. Tabb. præposita, jungitur
interpretatio, dein subrenitur legis actio.
 Ex his itaque liquet, hanc Juris periodum, quæ post leges XII. Tabb. constitit ex Prudentum interpretatione, legis actionibus, Jure Flaviano, & Æliano, constituisse priscam Jurisprudentiam, quæ etiam *Media Jurisprudentia* vocari solet, eo quia media esset inter leges XII. Tabb. & Constitutiones Imperiales, teste Justin. in §. 3.
Inst. de legit. Adgnat. success.

Sed cum hæc ad singula non sufficerent, senescente jam XII. Tabb. jure, cuius nonnullis capitibus jam derogatum fuisset, lata lege Æbutia, arguunt Viri docti ex quodam Gellii loco *lib. 16. N. A. cap. 10.* novis oborientibus negotiis, novis legibus priores illustrantibus, vel emendantibus, novum etiam jus ortum fuit, quod ex legibus & plebiscitis potissimum constabat. Profecto quamplurimæ leges intra hæc tempora tum ad jus publicum tum privatum pertinentes, ab universo Pop. vel a Plebe perlatæ fuerunt, inter quas nonnullarum mentio passim occurrit in *Inst. Justin.* His accedebant edicta Magistratum tum Urbanorum tum Provincialium, veluti, Con-

Consulum, Dictatorum, Censorum, Tribunorum Pleb. aliorumque minorum Magistratum, quibus omnibus ius edicendi fuit de iis, quae ad suam spectabant jurisdictionem. Omnibus tamen eminebant edicta Praetorum, qui cum juri dicundo praesent, edicta proponebant plerumque ad emolliendum Juris Civilis rigorem, quod ex illa Jectorum stricta interpretatione ortum erat.

Eodem fere temporis intervallo, auctore Pomponio in d. l. 2. §. 35. *Juris Civilis scientiam plurimi & maximi Viri professi sunt*, inter quos praeter Tiberium Coruncanum, qui publice Jus Civile primus edocuit, facileque discere volentibus se præstitit, magna in rep. claruerunt fama duo Catones pater & filius. Prior octogenario major decepsit A. U. C. 604. posterior vivo patre A. 600. cui praeter regulam Catonianam multa alia Juris specimena tribuuntur. Plures Scævolæ, nimirum P. Mucius, qui A. 610. Consul fuit, Q. Mucius Scævola Augur, quem Cicero audivit, ceu ipse testatur in *Bruto cap. 89.* alter Q. Mucius Scævola Pontifex Max. priore paulo junior, cuius est celeberrima in Jure *Cautio Muciana*, ejus auditor C. Aquil-

Aquillius Gallus , cui multum debet vetus Jurisprudentia Rom. Omnibus tamen præstitit Servius Sulpicius Aquillii discipulus, judice Cic. in *Bruno cap. 41.* qui auditores nactus est plurimos & magni nominis, qui non , ut hodie auditores, magistrum e cathedra docentem Juris principia audiebant , sed quicquid ille tum domi tum in Foro viva voce proferret in respondendo , cavendo , agendo , ipsi sibi proficiebant , & in futuros usus adnotabant . Consule Heinec. *Histor. Jur. lib. I. cap. 3. §. 156. & seqq.*

§. IV.

Historia Juris Romani sub Cæsaribus.

Mutata reip. forma , novam induit faciem Jurisprudentia Romana ; postquam enim Romani Imperii fundamenta jecisset Jul. Cæsar , operis totius gloriam consummasset Augustus , hic fane optime intellexit , omnes antiquas leges in rep. libera latas statui Monarchico haud convenire : mutatis enim moribus , aliis legibus opus erat , alioque jure vivendum . Quare animum appalit ad illum paulatim & ocul.

cultius novæ reip. formæ inflextendum. Cum autem potestas legislatoria paulatim a Pop. ad Senatum & postea ad solum Principem translata sit, factum est, ut sub primis Cæsaribus rarius leges ex more Majorum ad Pop. latæ essent, sed frequentius prodiissent Sæta, quæ præcedente Oratione Principis per ipsum vel per Quæstorem ejus in Senatu recitatâ condebantur. Quapropter nonnullas leges sub Augusto ceterisque Cæsaribus etiam latas esse, sed plura tamen Sæta usque ad Hadrianum condita fuisse ex historicis monumentis clare patet; quorum omnium in Jure nostro passim mentio occurrit.

Eodem ferme tempore plurimum obtinebant Responsa Prudentum, qui cum ab Augusto primum facultatem publice de jure respondendi haberent, magna auctoritate pollebant. Hi autem usque ab Augusto in duas divisi sunt sectas, quarum Auctores primi fuere C. Ateius Capito, & Q. Antistius Labeo, ambo C. Auli Ofilii auditores. Capito summa quidem Juris scientia floruit Romæ sub Augusto, sub quo Consulatum est adeptus A. U. C. 759. Christi vero VI. atque initium dedit sectæ, cui Maturius Sabinus, qui Capitoni succef-

cessit sub Tiberio , nomen dedit , quare dicta est *Secta Sabiniana* , & sequaces Jcti *Sabiniani* cognominati sunt . Q. vero Antistius Labeo eadem Augusti ætate etiam Juris scientia clarus , conjurationis in Jul. Cæsarem socius , clariorque ob mortis genus , uti erant illorum temporum mores , nam jugulum servo præbens , desperato jam libertatis patriæ negotio , occubuit , alteri sectæ originem fecit , cui Proculus nomen dedit , quare *Proculiana* nuncupata fuit & *Proculiani* Jcti .

Utrique tam Sabiniani , quam Proculiani in studio Philosophiæ Stoicæ persistenterunt : quod ita accipiendum moneo , ut non nisi Dialecticam , Grammaticam , & quasdam generales notiones , veluti verborum significations , etymologias , definitiones , & his similia e Stoica Philosophia depromserint , rejicientes omnino Stoicorum circa Moram Disciplinam *Paradoxa* , uti differit Paganinus Gaudentius de *Philosophia apud Rom. initio & progres. cap. 43.*

Ceterum præter Capitonem & Labeonem complures alii , qui sub Augusto florerunt , memorantur Jcti , quorum meminit Pomponius in *d. l. 2. inter hos Alfenus Varus Servii Sulpicii auditor , C. Aulus Ofi-*

Offilius Ciceroni coœvus, & præ ceteris C. Trebatius Testa eidem Ciceroni & Augusto amicissimus. Sub Tiberio vero inclaruit Masurius Sabinus, M. Cocceius Nerva Labeonis auditor. Sub Cajo Claudio & Nerone Sempronius Proculus, qui Nervæ successit, & sectæ Proculianæ nomen dedit, C. Cassius Longinus Proculi æmulus, atque M. Cocceius Nerva filius & Imper. Nervæ pater. Sub Vespasianis floruerunt potissimum Coelius Sabinus, Celsus pater & omnium celeberrimi Pegasus, & Plautius, ad cuius libros notas certatim scripserunt præ aliis Pomponius, & Paulus. Sub Nerva autem & Trajano inter Jctos eminuit P. Juventius Celsus filius, qui licet Proculi sectæ addictus, aliquando tamen veritatis magis studiosus a Labeone, Nerva, ipsoque patre dissensit, ac Sabino & Cassio assentiri non dubitavit, ut exemplis ostendit Heineccius *Histor. Jur. lib. I. cap. 4.* §. 258. Huic jungendus est Neratius Priscus moribus & doctrina eximus, atque Trajano Imp. apprime carus, & demum T. Aristo Plinio amicissimus, a quo magnopere laudatur *lib. I. epist. 22.* Horum igitur omnium alii Proculi, alii Sabini partibus adhaeruerunt. Sed postea Jctorum sectæ deserbuere ma-

xime sub Hadriano , sub quo cum non parum immutata esset Jurisprudentia , dignitas quoque sectarum paulatim deleta fuit , eo maxime quod Hadrianus potestatem de jure respondendi , perinde ac in libera rēp. communem fecit omnibus , qui fiduciam sui haberent , ut refert Pomponius in d. l. 2. §. 47. Imo atque ipsis Hadriani temporibus ad Principes sensim delata videtur juris dubii interpretatio ; quod testantur Principum Rescripta , quorum nullum extat antiquius Hadriani tempore . Quapropter sectarum controversiæ partim usu & consuetudine , partim Jētorum consensu consolopitæ fuerunt ; id enim velle videntur Jēti dicentes , post magnas varietates obtinuisse l. ult. D. pro legas. item illud , fuit questionis & obtinuit l. 24. D. de acquir. hered. partim quoque Principum rescriptis decisæ fuerunt , ut in l. 4. princ. D. de lege commis. Plane post Hadriani nonnulli extiterunt Jēti , qui Cujacii auctoritate hereticundi hodie nobis dicuntur , vel *Miscellaneæ* , qui in questionibus inter sectas dubiis & controversiis non certæ sunt sententiae , sed mixti judicij , modo enim stant a Sabinianorum , modo a Procalianorum partibus , quorum in numero sunt Catus , Pom-

Pomponius, Cerbidius Scævola, Papinianus, Ulpianus, & demum Paulus. Donec Imp. Justin. quinquaginta Decisionibus *Codici Repetitæ Prælect.* iñsertis multa illarum sectarum dissidia substulit, sed non omnia; plerque enim in Pandectis hodie super sunt dissensionum reliquæ, quas erudite observat & illustrat Gotfridus Mascovius de *Sectis Sabin.* & *Proculian.* cap. 9.

§. V.

Historia Jur. Rom. ab Hadriano usque ad Constantinum M.

Novam Juris rationem introduxit Hadrianus Imp. cum edicta Prætorum aliorumque Magistratum quotannis proponi solita, per Salvium Julianum Jetum feligenda & in compendium redigenda curaverit A. Chr. 131. Salius quidem Julianus, quibusdam detractis emendatisque, de suo quædam adjecit, cum esset in eum annum Prætor designatus, multasque sectarum dissensiones substulit: qua in re Sabiniæ magis, quam Proculianis favisse observatum est. Hæc collectio *Edictum Perpetuum* appellata est, eo quia non amplius

plius mutationi esset obnoxia , nec Magistratibus quid novi suis edictis inde constitueret liceret , adeq ut in posterum edicta non ex jurisdictione Magistratum , sed Imperatoria auctoritate valerent , nam Hadrianus Oratione habita in Senatu *Edictum Perpetuum* a Juliano compositum confirmavit , ut testatur Justin. *Constit. II. de confirm. Digest. §. 18.* Plane hujus Edicti auctoritas eo devenit , ut ex eo tempore Pomponius , Callistratus , Paulus , Ulpianus , ceterique præstantissimi Jeti certatim ad illud commentati sint , ex quorum commentariis maxima Digestorum pars hodie constat .

Præter Edictum Perpetuum nova alia jura constituit Hadrianus , inconsulto Senatu , & quamquam ipso imperante , quemadmodum & sub ejus successoribus nonnulla ex more condita sint Sæta , plura tamen ex eo tempore prodierunt tum Hadriani tum aliorum Principum Constitutiones , Edicta , Decreta , & frequentius Rescripta , quibus Jus vetus plerumque explicatur , emendatur , & ad singula facta applicatur . Sub Hadriano autem magno cum plausu Jurisprudentiam professus est Priscus Javolenus Cœlii Sabini auditor , e

cujus schola prodierunt tres illi eximii Jeti, Salvius Julianus, Aburnus Valens, & Tusclianus, quorum fragmenta extant in Pandectis, vel saltē citantur.

Porro eadem, ac sub Hadriano, fuit Jurisprudentia sub Antonino Pio, Marco Aurelio, & Lucio Vero, qui in Jure nostro *Divi Fratres* appellantur, Commodo Marci filio, Septimio Severo, Caracalla, & Alessandro usque ad Diocletianum novis aucta juribus & emendata tum Constitutionibus, Epistolis, Rescriptis, tum Orationibus & Sētis. Harum autem Principum Constitutionum ac Rescriptorum numerus intra ducentos annos adeo excrevit, ut in codices ea redigere conati sint Gregorius & Hermogenes Jeti, seu ut ab aliis vocantur, Gregorianus & Hermogenianus: quorum Codices privata auctoritate confecti etiam a Justin. laudantur in *Constit. de Justinian.* *Cod. confirm.* §. 1. Gregorius enim Jetus, qui ex conjectura Jac. Gothofredi in *Prolegom. ad Cod. Th. cap. 1.* sub Constantino M. vixit; & A. Chr. 336. Praefectus Prætorio fuit, omnium Impp. Constitutiones & Rescripta ab Hadriano usque ad Diocletianum sub certis titulis redacta collegit: ex quo originem traxit *Codex Gre-goria-*

gorianus, sicut ab Hermogene, qui sub Constantini liberis vixisse videtur, alter *Codex Hermogenianus* dictus: qui erat Gregoriani Codicis veluti supplementum, continens constitutiones a Gregorio omissas, atque Diocletiani & Maximiani, eorumque successorum rescripta duntaxat complectens usque ad A. Chr. 312.

In hac Juris periodo maxime sub Antoninis floruerunt Jetti omnium præstantissimi, e quorum responsis & sententiis potissimum conflatae sunt Pandectæ. In primis Sex. Cæcilius Africanus Juliano coævus, qui præ ceteris *libros IX. Quæstionum* scripsit, ad quas nemo melius, quam eximus Cujacius, commentatus est; Sex. Pomponius, qui vixit usque ad tempora Divorum Fratrum, Titus Cajus, Q. Cerbius Scævola Jectorum prudentissimus & Marco Antonino a consiliis, Severi Imp. & Papiniani præceptor, auctor tamen juris obscurissimus, & Ulpius Marcellus pacis bellique artibus eximus, ab Antonino Pio in consilio quoque adhibitus. Omnium autem facile princeps fuit Lucius Æmilius Papinius Scævolæ auditor, quem septuagenario majorem summo scelere interemit Antoninus Caracalla. De ejus vita, studiis,

scriptis, moribus, & morte optime meritus est Everardus Otto in *Papiniano*. Sub Severo & Antonino Romæ floruit Domitius Ulpianus a Papiniano non absimilis, Alexandro Imper. adeo carus, ut Praefectus Praetorio crearetur, sed a Praetorianis militibus in ipso pene Imper. gremio interfactus. Ejus opera majora & minora recensentur in Indice Florentino & Jac. Labitti.

Accedamus nunc ad Julium Paulum, quem cum Scævola & Ulpiano *legum prudenterum corypheum* appellat Modestinus in l. 13. §. 2. D. de *excusat*. Hic carpendi animo frequenter Ulpiano & Papinianorum aliisque summis Viris adversatur, saepe subtilissimas noctens quæstiones adeo mira brevitate, ut in obscuritatis vitium aliquando incidat. Fuit Severi & Antonini Caracallæ consiliarius, inter Papiniani Assessores, & demum sub Alexandro Praefectus Praetorio. Ejus opera usque ad nonaginta in Indice Florentino & Labitti quoque recensentur. Non praeteribo hic nonnullos alias non minoris famæ Actos, qui Jurisprudentia Romanæ lucem attulerunt maximam. Inclaruerunt eodem fere tempore sub Antoninis Callistratus, Ælius Marcianus, Flo-

ren-

rentinus, Venuleius Saturninus, Licinius Rufinus, Æmilius Macer, & ultimo loco Herennius Modestinus Ulpiani auditor circa A. Chr. 240. *Atque hic Jētorum finis est,* (ait Jac. Gothofredus in *Hist. Jur. Civ.* cap. 7. & ex eo Heineccius *Histor. Jur. lib. I. cap. 4. §. 351.*) *bic oracula Jētorum obmutuere, sic ut ultimum Jētorum Modestinum dicere vere licent, cessim & retro collapsa jam Jurisprudentia.* Quare qui deinceps successerunt Jēti, nudam docendi & profitandi publice provinciam Romæ, CPI, Beryti suscepérunt: Jus antem neutrum adauxerunt, eoque cum antiquis Juris Prudentibus conferendi non sunt.

§. VI.

*Historia Juris Rom. a Constantino M.
usque ad Justin.*

Novam profecto induit formam Jurisprudentia Romana sub Constantino M. ejusque liberis, ceterisque Principibus Christianis usque ad Theodosium iu niorem spatio circiter ann. 130. Iste quidem, mutato plane reip. & religionis statu (quod in eunte Sæculo IV. conti-

D 3 gisse

gisse exploratum est) varias leges de Ecclesiarum immunitate & bonis, de Episcoporum jurisdictione & similibus publicavit, easdem pro Gentilibus antea Constitutionibus substituit Christianas . Hinc iudos gladiatorios substulit , Ecclesiis bona relinquimus per ultimam voluntatem permisit . Antiquum jus in multis articulis abrogavit, pleraque nova constituit ; de quibus omnibus consulendus est Balduinus in *Constantino M.* Quapropter jure merito inter præcipuos legislatores recenseri meret .

Sub Constantini autem liberis ad Theodosium usque juniores eadem pene fuit Jurisprudentiæ facies . Principes plane Christiani , si unum excipias Julianum Apostatam , multa constituere non solum ad provehendam Christianam religionem , sed ad evertendas etiam Paganorum superstitiones , & impia eorum sacra abolenda . Jus autem Romanum , quod antea pluribus ambagi- bus formulisque captiosis scatbat , novis legibus emendarunt , ad majorem simplicitatem facilitatemque traducentes . Cum igitur horum Principum leges ad molem usque excrevissent , Theodosius junior eas in uno volumine colligendas mandavit octo Viris , qui constitutiones Imperiales a Constan-

stantino M. usque ad Theodosii junioris tempora A. Chr. 438. certis titulis dispositas sexdecim libris collegerunt. Hic autem Codex confirmatus est Theodosii constitutio, atque *Codex Theodosianus* appellatus est, adhuc hodie superstes, & doctissimis commentariis illustratus & restitutus a Jac. Gothofredo. Quamquam post Modestinum, ceu superiore § V. ostendimus, obmutuerint Ictorum oracula, non defuerunt tamen, qui Juri egregiam contulerunt operam. Memorantur præ ceteris sub Constantino ejusque liberis Hermogenianus, Aurelius Arcadius Charius, & Julius Aquila, quorum fragmenta hodie leguntur in Pandectis. Eodem fere tempore in Oriente Juris Rom. studiis maxime floruit Schola Beryensis usque a Sæculo III. instituta Beryti: quæ Phœniciaæ Urbs Sæculo VI. anno Justiniani XX. horribili terræmotu & incendio absumpta est. Præter Beryensem, publicas Juris Scholas Rœmæ & CPi Sæculo V. curis Theodosii junioris institutas esse exploratum habemus. In his autem Scholis maximo cupidæ legum juventutis concursu Jus Romanum pro sæculi moribus excolebatur. Hæc itaque fuit Jurisprudentiæ Romanæ facies sub Christianis Imp. quorum auspi-

ciis non parum immutata est , sed maximam tamen subiit mutationem sub Imp. Justin. qua de re in seq. cap. agendum .

C A P U T . II.

De Jurisprudentia Justinianea .

ANequam Juris Justiniane notitiam tradamus , quædam de ipso Justiniano præfari lubet . Hic autem A. Chr. 482. V. Id. Maj. sub Zenone Imp. & Acacio Patriarcha CPo natus est Taurisi in Illyrico ex obscuris admodum parentibus , patre *Sabbatio* , quem Illyrienses etiam *Istebchum* vocarunt , & matre *Bigleniza* seu *Vigilantia* Justini Imp. sorore : nuncupatus vero *Justinianus* , Illyrico sermone *Uprauda* , quod nomen idem ac *recta Justitia* latine sonat . Altus est Biderinæ (quæ fuit arx sive oppidum prope Taurisium) sub præceptore Theophilo Abbatे . Constantinopolim venit sub finem Anastasii dominatus trigenario major , ut idem præceptor affirmat , ubi imperante Justino avunculo , interfecto Vitaliano , qui ad imperium adspicrabat , fit primum Magister militiæ & legionum Romanarum Dux , postea declaratur

tur *Nobilissimus*: quo fane titulo decorabatur, qui ex ejusdem Imperatoris familia erat & Imperii successor designatus. Deum Cæsar salutatur, cum Justinus avunculus ægrotans ex sagittæ vulnere pedibus inficto, eum in filium adoptavit, atque ad Imperium promovit, universo Senatu comprobante. Coronatur A. Chr. 527. nonno Imperii Justini die festo Paschatis primo mensis April. Extincto autem Justino quatuor post menses prima Augusti die, solus consequitur Imperium nullo Collega; quicquid contra autumant Gretserus & Baronijs.

Uxorem duxit Theodoram mulierem scenicam, vivo adhuc Justino A. 524. qui in gratiam nepotis pro hujusmodi conjugio legem scripsit ad Demosthenem Praefectum Prætorio, cuius fragmentum extat in l. 23. C. de *nupt.* ut licitum inde foret Patriciis & Senatoribus scenicarum mulierum conjugium jam antea prohibitum l. Papia & Constantini M. constitutione l. 1. C. de *natural.* lib. At Jo. Petrus de Ludewig in *Vita Justin.* id constanter negat, probatque, Theodoram jam, antequam Justiniano nupsisset, *Patriciam declaratam esse*, quod & Procopius confirmat, eoque non

non poterat scenicam vitam agere , cum hanc meruerit dignitatem . Quicquid vero hac de re sit, Justinianus adeo multa egregia belli domique gessit , ut merito cum primis Imperatoribus comparari possit . Sed haec nunc recensere , instituti nostri ratio non patitur : consulendi sunt in primis Procopius , Agathias , aliquae CPæ Historiæ Scriptores . Moritur , ut ex Chronico Alexandrino patet , A. 565. die XIV. Nov. admodum senex , cum regnasset annos 38. menses 7. dies 13. Filios nullos ex Theodora conjuge suscepit præter unicam filiam apud Procopium anonymam , quæ parentibus præmortua est .

Arguunt nonnulli Interpretum , ceu Alciatus & Budæus , ex quadam depravata Suidæ lectione , Justinianum nostrum litterarum rudem fuisse , & ut dici solet , inalphabetum . Sed falso : etenim Kusterus optime advertit apud Suidam , non l'ou-sinávos legi ; sed l'ous'ivos ; & Codices MSS. Vaticani pro Justiniano recte habent *Justinum* , quem revera rudem litterarum fuisse constat . Et sane iste mendosus Suidæ locus facilius corrigi poterat ex lectione cap. VI. *Anecdotorum* Procopii , unde illa verba Suidas descripsit , ubi Procopius de

de Justino dixerat, non de Justiniano. Errandi autem occasionem præbuit frequens librariorum lapsus in hisce duobus Justini & Justiniani nominibus tum apud Procopium, tum alibi apud alios Scriptores: siquidem Justinus primis quatuor litteris nomen suum inscribebat hoc modo JUST. At Justinianus simplici hac littera J. propter quod vocata est *Justinianus Apex* apud Corippum. Vide Alemannum in *Anecdota Procop.*

Ceteroquin constat ex eodem Procopio aliisque Scriptoribus, Justinianum neque in alphabetum neque agrammaton fuisse. Quinimo in Theologia studio versatus fuit, nam sepe de rebus divinis disputantem cum Episcopis & Hæreticis refert Procopius *de Bello Gorb.* lib. 3. In Philosophia & Poësi eruditus quoque perhibetur: illudque memoratur a Theophane Canticum, *Unigenitus Dei Filius Et Dei Verbum*, quod a se compositum ipse Ecclesiis decantandum tradidit, ubi notat Jac. Goar, Missæ sacrificio ineunte a Cleri cœtu hymnus iste etiam num hodie in Ecclesia Orientali canitur & præsertim in Russico Imperio: qua de re vide Baron. ad ann. Cœr. 520.

Hæc de Justin. satis, nunc de Jure Justinia-

stinianeo differendum . Cum igitur Jurisprudentia tunc temporis tum librorum multitudine , quorum duo pehe millia sua adhuc ætate extitisse testatur Justinianus in *constit.* 11. de *Concept. Digest.* §. 1. tum opinionum varietate , tum etiam immensa veterum novarumque Constitutionum sylva eo excrevisset , ut ejus studium pene desperatum esset , Justin. præ ceteris , ut illam in meliorem redigeret consonantiam , restauracionem compositionemque Juris Civilis aggressus est : qua in re usus est opera Virorum Juris scientia tunc celeberrimorum , quorum alii erant summis dignitatibus ornati , alii Antecessores præstantissimi Scholæ CPæ & Beryensis , alii demum cauſarum Patroni facundissimi : quorum omnium nominum catalogus legitur in *Constit. de confirm. Digest.* §. 9. His omnibus præfecit Tribonianum natione Pamphylium variisque summis honoribus in Palatio functum , quem eti nonnulli Procopium secuti turpiter traducant , Jo. tamen Petrus de Ludewig , Heineccius , aliquique feliciter eum a tot calumniis liberant . Utrum vero hæc Juris Rom. Compilatio Justiniani auspicijs suscepta , recte a Triboniano ejusque Collegis confecta fuerit , nec satis scio , neç si sciam ,

sciam, dicere audeo: quamplurimi enim sunt, qui in Tribonianum fabam cudunt, atque Justiniane Juris corpus illi Deiphobi dilaniato corpori apud Virgilium adsimilant. Præ ceteris in Tribonianum inclemtes sunt Hotomanus & Thomasius, qui acriter in illum invehuntur. Contra Heineccius in *Opusc. Syllog.* & Terrassonius in *Histor. Jur. Rom. part. III.* §. 10 defensionem Justinianeæ compilacionis suscipiunt, & contra sectam Tribonianomastigum insurgunt. Sed his posthabitis, de singulis nunc Juris Justiniane libris ad intellectum *Proœm. Institut. agendum* est.

§. I.

De Codice Justiniano & de altero Repetito Praelectionis.

IN primis Justin. A. 528. Id. Febr. mandavit decem Viris, ut rescripta & constitutiones Principum antea confusas colligerent ex Codd. Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano: quod sane opus Compositores post annum compleverunt, sc. A. 529. & resecatis superfluis, veluti præfatio-

tionibus , & quæ Religioni Christianæ adversabantur , nec non quæ in desuetudinem abiabant , additis Novellis constitutionibus post Cod. Theodosianum promulgatis , VII. Id. Apr. ediderunt : qui liber dictus est *Codex Justinianus* in XII. libros distributus . Sed quoniam parum concinne & accurate collectus ille fuerit , recognitus deinde melius a quinque Viris , cui additæ fuerunt novæ aliae constitutiones postea promulgatæ , nec non quinquaginta Decisiones per titulos distributæ , in quibus altercationes Veterum Jætorum & controversiæ , licet non omnes , erant decisa , dictus postea fuit *Codex repetitæ prælectionis* (ita enim Veteres vocabant secundas editiones , cum mutarent sententiam & priorem corrigerent , adnotante Cajacio in *Parat. C. de vet. Jur. enucl.*) . Hoc Codice hodie in Foro & Scholis utimur : priorem namque ab ipso Justin. jam abrogatum non habemus . Quare arbitror , constitutiones plurimas , quarum meminit Justin. in *Institut.* , aut in priore Cod. extitisse , aut in secundo , sed quia græce scriptæ erant , postea sequioribus sæculis interciderunt .

Prodiit autem hic Codex A. 534. XVI. Kal. Decemb. post Pandectarum & Institu-

tutionum editionem , quibus hic Codex quandoque derogat , ut probat Hagemejerus in libro *de Aucto. Jur. Civ. cap. 5.* Huic Codici etiam inserta hodie legimus quædam quasi scholia , sive quasdam particulas a diversis Novellis Constitutionibus desumptas , *Authenticas* vulgo appellatas , quæ Codicis nonnullas leges vel abrogant , vel limitant , vel corrigunt . At quis harum Authenticarum Auctor fuerit , longum inter Criticos litigium est . Sed nos brevitate studentes , posthabitatis aliorum sententiis , veriori adstipulamur , quæ nobis multis testimoniis suadet , varios harum Authenticarum Auctores pro tempore fuisse , cum satis constet , non omnes ex Justiniani , sed quasdam ex Justini II. , Tiberii II. , imo quasdam ex Friderici I. & II. constitutionibus depromptas esse .

Ut rem igitur paucis definiam , primum Juris Professores in Oriente paulo post mortem ipsius Justin. (siquidem D. Gregorius M. lib. 9. Epist. 34. citat Authenticam *Presbyteros C. de Episc. & Cler.* & Ivo Carnotensis , Burchardus , & Gratianus quarundam Cod. Authenticarum mentionem faciunt) postea in Occidente Irnerius , Azo , aliique , qui XII. & XIII.

sæcu-

sæculo restaurandæ Jurisprudentiæ vixere, illas legum particulas, uti num hodie observamus, inferuerunt non alia de caussa, quam ut testarentur auditoribus, quæ ipsi animadverterant, esse abrogata, quibusve in Cod. derogatum, ut ostendit Corn. Van-Bynkershoek singul. dissert. *de Auctent. Auct.*. His cognitis, facili negotio dirimi potest illa inter Doctores disceptatio, an Authenticæ Codici insertæ valeant, si non convenient cum Noyellis, e quibus desumptæ sunt, uti passim observatur? Nonnulli affirmant, sed communis Doctorum sententia praxi confirmata absisse negat, & recte: nam istæ Authenticæ ex se nullam juris auctoritatem habent, quia privata auctoritate a privatis Jetis insertæ & adjectæ fuerunt Codici.

§. II.

De Digestorum seu Pandectarum compositione.

POst Codicis compositionem Justin. A. 530. XVIII. Kal. Jan. mandavit septemdecim Viris, ut libros componerent Pandectarum, sive Digestorum, eosque collig-

colligerent ex libris bis mille Veterum Jētorum , qui tercenties decem millium versuum , sive sententiarum , sive paragraphorum continebant (solebant enim Veteres in fine cujuscumque voluminis numerum paragraphorum sive linearum describere , atque ita Scriptorum opera metiri , ne ab amanuensibus deciperentur : quod etiam in S. Scripturæ libris olim observatum esse accepimus . Vide Prideaux lib. 5. *Hist. Judæor.*). Huic operi decennium destinaverat Justin. sed Compositores illud triennio absolverunt , atque uno mense post Institutiones publicarunt A. 533. XVII. Kal. Jan.

Distributum autem fuit in L. libros & in VII. partes ob septenarii numeri præstantiam , in quibus ordo Edicti Perpetui , licet non in omnibus , observatus est , continetque centum quinquaginta milia paragraphorum , testante ipso Justin. *Constit. II. de Confirm. Dig.* §. 1. Sunt qui hujus operis ordinem , imo totam iplius collectionem improbant & damnant , ajunteque , manifestum hic apparere Tribonianii flagitium ; qui Veterum Jētorum scripta in operis collectione mutilaverit , sententiasque integras detruncaverit , & non nisi

Tom. I. Lib. I.

E

quæ-

quædam fragmenta, & hæc perobscura & undique interpolatim collecta nobis reliquerit. Hinc longissima antinomiarum series, quarum conciliatio plerumque difficultis evadit. Sed Heineccius, & Bynkershoëk ab istis criminationibus Tribonianum absolvunt, & respectu antinomiarum affirmant, hoc Interpretum vitium esse, qui ubique in Jure antinomias deprehendunt, atque ne suam prodant ignorantiam, sepe illam Triboniani accusant. Ceterum volumen hoc dupliciter appellatur, *Pandectæ & Digestæ*, exemplo Veterum Iстorum, qui libris suis modo Pandectarum, modo Digestorum nomen præposuerunt. Dicuntur autem *Pandectæ* a varietate & multiplicitate rerum; *Digestæ* vero propter ordinem perductum.

§. III.

De quatuor Institutionum libris.

Post desperatum Digestorum opus Justinianus tribus Viris Triboniano, Theophilo, & Dorotheo mandavit, ut *Institutiones* componerent; e quibus juvenes facilitius elementa Juris inde ediscere possent,
quam

quam ante *ex antiquis fabulis*, ut loquitur Justin. in *Proœm. Instit.* §. 3. quibus verbis, putant Huberus lib. 1. *observ. cap. 4.* & Ever. Otto de *Jurispr. symbol. exere.* I. *cap. 19.* respexisse Imperatorem ad symbola, formulas, fictiones Juris, ceterasque sollemnitatum ambages, quibus Veterum Jætorum institutiones refertæ erant, ut vel ex Caji fragmentis a Boëthio servatis apparet. Plane Compositores in conficiendis institutionibus faciliore usi sunt methodo, ad tria omnino capita generalia Jus omne tradacentes, in quibus breviter Jus antiquum expositum est, & quod in desuetudinem abierat, Imperiali auctoritate restitutum, testatur Justin. in d. *Proœm. §. 5.* & 6. ubi satetur, multa desumpta esse ex Veterum Jætorum commentariis, sc. ex Ulpiano, Florentino, Marciano, Paulo, & Papiniano, e quibus non tantum sententias, sed & integra verba descripsérunt Compositores, & præsertim ex T. Cajo, quem in totum imitari sibi proposuerunt.

Quapropter mirum non est, cur huic *Institutionum* libellum tantopere laudes Cujacius, & omnium librorum Juris Civilis nitidissimum, comptissimum, facilitum, nulloque pene interprete indigentem præ-

E 2 di-

dicit, licet Hotomanus, Thomasius, aliquie
illam proscriptant & damnent, & Wesenbe-
cius in §. 1. *Instit. de testam.* neque ma-
teriam neque methodum sibi in his ele-
mentariis libellis placere affirmet: quibus
omnibus satisfecit Heineccius, & Jo. Pe-
trus de Ludewig *cit. loc.* Ceterum hunc
librum editum A. 533. uno mense ante
Pandectas XI. Kal. Decemb. Justinianus
post recognitum Constitutione sive *Proæmio*
ad has Institutiones confirmavit, eique vim
potestatemque legis in omnibus tribuit.
Hinc Pandectis quandoque derogare Insti-
tutiones, maxime dum in iisdem ad Con-
stitutiones Pandectis posteriores provocatur,
animadverterunt Thomasius & Hægemeje-
rus apud Struvium *Cap. 3. Hist. Jur. Ju-*
stin. §. 6.

Hi igitur sunt libri, ex quibus constat
Juris Civilis Corpus Justiniani auspiciis
collectum & restitutum. In his autem per-
discendis quinquennio Juvenes in Scholis
versabantur. Hodie vero (nescio, quo fa-
to) vix biennio & perfunctorie: qua de-
re jure merito conqueritur Cujacius *lib. 12.*
obserw. cap. ult. si quinquennium, quadrien-
nium illa etate, qua mores & jura & ver-
ba civilia sane erant notiora aut faciliora
per-

*perceptu , quid non erubescimus ista , qua
borrere spinis omnibus videntur omnia que-
cumque de jure ab antiquis prodita sunt ,
vix ramen in eis nos transfigere triennium ,
plurimum vitio parentum , qui , ut Petronius
Arbiter ait , cum ad vota properant ,
cruda adhuc studia in forum impellunt ?*

Quod ad methodum vero attinet antiqui-
tus adhibitam in comparanda Civili Pru-
dentia , quædam Justin. mutavit circa stu-
dii rationem in *Constit. ad Antecess. §. I.*
O seqq. ideoque I. anno Institutiones
hasce suas voluit Juris Tyronibus prælegi ,
& illam Pandectarum partem , quæ Græco
vocabulo πρωτα nuncupatur : eosque non
Dupondios , ut olim moris erat , id est
nullius pretii homines , sed *Justinianistas* a
suo nomine appellari . II. anno Juris Stu-
diosos quosdam Digestorum libros , quos
ipse notavit in *d. Constit. ad Antecess.*
audire jussit , retento antiquo *Edictalium*
cognomine . III. anno libros XX. & XXI.
Dig. præscripsit , & *Papinianistas* adhuc vo-
cari concessit . IV. reliquis Digestorum li-
bris operam dare voluit , atque λύτρας
Græco & consueto vocabulo , quasi *solven-*
dis Juris questionibus idoneos , appellari per-
misit . V. demum *Justinianeum Codicem*

E 3 præ-

prælegi jussit , servato προλύτων nomine , ut videre est apud Petrum Mullerum de quinque. Jur.

§. IV.

*De Novellis Constitutionibus, sive
Authenticis.*

REliquum nunc est, ut de quibusdam novis constitutionibus agamus postea editis , & ob negotiorum varietatem inde exortis , quas vocant *Novellas* , vel *Jus Novum* , vel *Novissimum* , quoniam has saepe saepius quædam in Codice , Pandectis , & Institutionibus abrogare , eisque derogare observamus . Hujusmodi igitur Novellas Constitutiones centum sexaginta octo a Triboniano compositas fuisse , testantur Græci Interpretæ & Gujacius : & si fides habenda sit Jo. Antiocheno in *Justiniano* , & Agathia lib. 5. in unum volumen ab ipso Justiniano redactæ olim fuerunt , quemadmodum & ipse se facturum spoponderat in *Constit. de emendat. Cod.* §. 4. At illæ tamen , quas præ manibus habemus , non omnes Justiniano esse tribuendas , censem Balduinus & Giphanius , sed esse quasdam ab

ab aliis Impp. editas : & revera sunt nonnullæ Justini II. & Tiberii II.

Quæsitum autem est ab Interpretibus, quis illarum fuerit Collector, & quo tempore extiterit ? & sane quamvis Interpretes in diversam iverint sententiam, verisimilius tamen est, a quodam anonymo suis collectas haud diu post mortem ipsius Justiniani ; quæ sane Novellæ partim Græce, partim Latine erant conscriptæ, teste ipso Justin. in *Novell. 66. cap. 1. §. 2.* Ille vero Novellas Græcas alter creditur *anonymus e Græco in Latinum translatisse temporibus Justin. proximis*, ut suspicatur Balduinus, eo quia ea translatione usus videtur D. Gregorius M. Justinianii etatè fere suppar *lib. XI. epist. 53.* Hic tamen Interpretes *barbarus* a plerisque vocatur, *utriusque linguae imperitus a Viglio, indoctissimus a Leunclavio, nihilominus a Cujacio commendatur* : & hujus est hæc translatio, quæ vulgo circumfertur, ideoque dicta fuit *Authentica*, quia fideliter ad verbum Novellæ translatæ sunt ex illo Græco exemplare, ut adnotavit Alciatus *lib. 2. Parerg. cap. 46.* Sed quia ista translatio Latina plerisque in locis est vitiosa, atque cum Græco exemplare non semper

ubique convenit , putant Cl. Interpretes , versionem non esse Græco exemplari præferendam , licet in praxi aliter res se se habeat , auctore Alb. Gentili *de libr. Jur. Civ. cap. 7.* Quapropter merito culpatur a Guido Pancirolo *lib. 2. de clar. leg. Interp. cap. 13.* Irnerius , quod Latinam Novellarum versionem breviorem & elegantiorem a Juliano CPo Anteces. conscriptam rejecerit , atque istam semi-barbaram & mendasam receperit .

Postea A. Ch. 1140. divisæ fuerunt a Berguntione Monacho Pisano , vel ab alio Interprete (de hoc dubia adhuc sententia est) *in novem Collationes* , quæ nimis barbare ita dictæ fuerunt pro collectionibus . In istis plane Novellis nulla reperitur methodus : imo neque materiæ neque temporis ulla ratio habita est , ita ut Novellæ ordine scripturæ priores interdum posteriores corrigant , ceu exemplis ostendit Hagemerius *de Auctor. Jur. Civil. cap. 8.* adéoque vera est sententia Balduini : *si quis roget (inquit) quis eas collegerit in unum volumen , fatebor mibi notum non esse bunc rapsodum , sed simul dicam , farraginem esse sine ulla arte congregatam.* Hujusmodi autem Novellarum , eisf̄ hodie quamplurimæ circum-

cumferantur, non nisi tamen nonaginta octo hodie in Foro auctoritate pollent, non alia quippe de causa, quam quod ab Accursio, aliisque veteribus Interpretibus expositæ sint, & ut vulgo loquuntur, *glossæ*. Consulendus est idem Alb. Gentilis d. l. cap. 6.

CAPUT III. & ULTIMUM.

De Fato Jurisprudentiae Justinianæ, ejusque restaurazione.

VIdendum nunc de fato Juris Justinianæ ejusque auctoritate cum in Oriente tum in Occidente. Profecto post Justin. obitum perduravit aliquandiu in Foris & Scholis Justinianei Juris auctoritas. Sed cum ab eis apud Græcos sensim recederet Latinæ linguae usus, quæ jam a Theodosio M. tempore labefactari cœpit in orientali Imperio, factum est, ut Juris Justinianei libri in Græcum sermonem verterentur. Theophilus quidem Ictus & Antecessor CPus ipsis Justin. temporibus, uti placet melioris notæ Interpretibus, & maxime

Eva-

Everardo Ottoni in *Præem. Instit.* §. 3. primus *Institutiones Græce* vertis, uberiore quandoque usus metaphrasí, qua varios Romanorum ritus latius prosecutus fuit eo sane confilio, ceu notat Ang. Politianus *Miscellan. cap. 84.* ut peregrinis hominibus, atque a Romanorum more consuetudineque alienis res tota penitus innotesceret: qua de cauſa magnopere commendatur hoc Theophili opus ab Ant. Augustino lib. 3. *Emendat. cap. 8.* ubi ait: quo libro nullus extat ad eos Justiniani intelligendos aptior. Quamquam vero, uti passim observatur, Theophilus contra Justin. mentem paraphrasim conceperit, partim, ut putat Hagemerius *de Autor. Jur. Civ. cap. 2.* ex Latini sermonis ignorantia, partim quia multa ex Jure novo, quod apud Græcos obtinuerat, immiscuerit: quæ sane cauſa fuit, cur de Theophilii ætate tantopere quæſitum est ab Interpretibus. Verumtamen probabilior mihi videtur Everardi Ottonis conjectura, existimantis id contingit flagitio Græculorum sequioris ævi, qui Theophilum deturparunt, aliis adjectis, aliis omissis, ita ut neque totus neque integer ad nos pervenerit.

Thalelaus autem unus certe ex Colle-

cto-

Etoribus Pandectarum quinquaginta Digestorum libros & Codicem κατὰ πόδα Græce reddidit. Novellas Latinas varii transtulerunt. Sed Julianus Antecessor CPus Novellas centum viginti quinque Græco sermone perlatas Latine vertit purioribus verbis & elegantioribus, quam alter anonymous, cuius translatio Latina in Foro recepta est; atque illas, refecatis Prologis atque Epilogis, in epitomen redegit. His accesserunt variæ Constitutiones Imp. Græcorum post Justinianum, quæ ejus Juri maxime derogabant. Atque ita factum est, ut Corpus Juris, prout a Justin. editum fuerat, in Oriente desineret, atque Jus Græco-Romanum oriaretur a Græcorum Imp. legibus emanans.

Ex hac saepe Juris Justinianei Græca versione Pandectas & Codicem hodie Latine extantes traductos esse, demonstrare conatur Jo. Jensius in *Strict. Jur. Roman. redintegr.* putans vetus vere Justinianum Corpus Latinum, ejusque Græcam versionem penitus intercidisse. Omnis vero argumentorum vis, quibus hac in re demonstranda utitur laudatus Author, in eo potissimum versatur, quod *omnia fore Latini sermonis via* (ut idem loquitur) in hoc Corpore Latino tam cœbra tam floride

*lide commissa, in Græco sermone non sunt
vitia, sed cum sermonis Græci genio conve-
nientia.* Hinc confidere tentat, ut cum
genius, natura, structura Græcæ linguæ
passim appareat in hoc Corpore Latino,
idque sine necessitate, sine captata elegan-
tia, imo vitiose, stulte & inepte, hodier-
num Latinum Corpus necessario ex Græco
translatum fuisse videatur ab hominibus
utriusque linguæ imperitis: id quod osten-
dit exemplis plurimarum vocum Latina-
rum, imo omnium aliarum orationis par-
tium, quæ plerumque occurunt sensu ab
Latina lingua alienissimo, quæ tamen ad
Græcam linguam revocatæ sensum habeant
& Græcæ linguæ & rei, de qua agitur,
pulchre convenientem. Verum hæc Jensii
hypothesis, quamvis ipsa novitate legentis
animum percellat, multis tamen laborat
difficultatibus, quas & ipse Auctor præ-
sensit; præsertim, quod in hoc ipso refecto
Latino corpore nonnulla occurunt satis
puro stylo exarata, & ut ipse ait, *purpu-
rei puri sermonis Latini panni*; idcirco ad
eas amovendas, ad multas alias confudit
hypotheses, quæ nullo nituntur solidiore
fundamento: fingit enim, huic operi se-
quoribus sæculis plures navasse operam,
quo-

quorum alii nec Græce nec Latine satis scirent, alii utramque linguam tolerabiliter pro itis temporibus intelligerent. Rursus fingit, ipsum Justinianeum Corpus Latinum pluribus distinctum fuisse voluminibus, eorumque aliqua barbaricam effugisse tempestatem: at cetera volumina longe maximam Corporis partem facientia, disperisse, atque instaurata fuisse ex versione Græca dudum ante facta, sed quæ & ipsa postmodum fuerit disperdita. Fingit demum, superfluisse multa veterum Jectorum Latina scripta, Edicta, Sæta, imo Constitutiones Græca exaratas, quæ post novum ex versione Græca confatum Corpus Latinum repertæ, ab aliis litterarum & Juris Studiosis postea insertæ. Hæc itaque & id genus alia, quæ magis speciosa mihi, quam satis explorata videntur, utpote nullo historiæ monumento, nullo teste suffulta, satis ipsam hanc Jenſii hypothesim conficiunt, & pessundant. Sed de his jam satis Consule Jo. Aug. Bachium, qui in Ephemeridibus *Criticæ* nomine inscriptis. *Tom. I.* *Vol. III.* & *Tom. III.* *Vol. VI.* hanc Jenſii sententiam confutavit, ceu ipse testatur in *Histor. Jur. Lib. IV.* *Cap. I.* §. 9. *¶* 27.

§. I.

§. I.

De Libris Basilicorum.

Permanuit in Orientali Imperio hæc Juris Justinianei Græca translatio usque ad Basili Mædonis tempora . Hic enim circa A. Chr. 867. novum quasi Corpus Juris tum ex omni Jure Justinianeo compilandum mandavis , ita ut omnes leges ad eamdem materiam pertinentes , quæ in Codice Pandectis , Institutionibus & Novellis per varios titulos dispersæ erant , sub uno titulo digerentur ; tum ex Novellis Græcorum Imp. Juri Justinianeo ut plurimum derogantibus , ex Patriis & Conciliorum decretis , nec non ex Jectorum quorundam Orientalium paratitlis aliisque libris . Hoc opus ad quadraginta libros usque primum perduxit , quod a Leone Philosopho ejus filio & successore ad sexaginta libros usque (quorum hodie non nulli desiderantur) fuit continuatum , ut notat Suaresius in *Noris. Basilic.* Illud demum Constantinus Porphyrogeneta ejus filius post quadraginta annos circiter A. Chr. 910. reperita prælectione purgavit , atque in meliorem ordinem rededit : & si fides habenda sit Marquardo Frehero in

Præ-

*Prefas. ad Jus Græco-Rom. ad abolendam Justin. memoriam compositum fuisse videatur: & revera post evulgatos Basilicorum libros siluit prorsus in Orientali Imperio Justinianei Juris auctoritas; illaque Basilicorum maxime invaluit ad interitum usque Imperii Orientalis: nam capta a Turcis CPI A. Chr. 1453. Jus Græco-Romanum in Oriente etiam exolevit: & quamquam Basilicorum libri in Foro hodie haud valeant, ad Juris tamen Justinianei textus emendandos, restituendosque non parum conducunt, cum saepe ubiorem praebant paraphrasim, clarioremque praestent intellectum, & inter alia ad stabiliendam saepe veram legis lectionem magnopere faciant, ceu monet Jac. Gothofredus in *Differ. ad l. 8. C. de refam.**

§. II.

De Fato Jurisprudentiae Justinianae in Occidente.

Postquam autem Constantinus M. (nescio quo fato) sedem Imperii Byzantium transstulisset, dignitas Romanae Reip. sensim declinare coepit, maxime cum Romanam,

mam , Italiamque omnem barbaræ gentes invaserint : idcirco Juris quoque Romani auctoritas in Occidente exolevit , cui derogarunt potissimum Visigothorum leges & barbara instituta. Superfuit tamen apud Gothos aliquis legum Romanarum usus in Occidentalibus Imperii provinciis , & præsertim quæ in Codice Theodosiano continabantur : siquidem Alaricus junior Visigothorum Ræx A. Chr. 506. mandavit , ut præter fragmenta ex Codice Gregoriano , Hermogeniano , ex Regulis Ulpiani , Caji Institutionibus , & Pauli Sententiis componeretur Breviarium Codicis Theodosiani . Hic Codex postquam recognitus & subscriptus fuerit ab Aniano Alarici consiliis , ab ipso Alarico publicatus est , atque ad universos Regni Comites transmissus , ut ejus præscripto caussæ dijudicarentur ; nec alia lex , vel Juris formula recipetur , ut tradit Gothofredus in *Prolegom.* ad *Cod. Tb.* cap. 5. Hæc autem collectio , quæ non ab Aniano confecta fuit , ut perperam vulgo creditur , sed tantum ab eo recognita & subscripta , appellata fuit *Anianum Breviarium* , *Lex Romana* , & quandoque *Corpus Theodosianum* ; a Codice tamen Theodosiano diversissimum , monente eodem

dem Gothofredo *d. l. cap. 3.* ubi docet, Codicem Theodosianum ante Justin. tempora maximam habuisse auctoritatem in Italia etiam sub Ostrogothis: siquidem Theodoricus Ostrogothus Italæ Rex illum valere jussit; atque ex eo maximam sui Edicti partem composuit.

Sed postquam Justin. Imp. per Narsensem ducem ab Italia Ostrogothos profligaverit, non amplius Codicem Theodosianum, sed Jus suis auspiciis collectum & compositum observari voluit æque in Italia, ac in ceteris Imperii provinciis, ubi tamen non multo post ipsius obitum superstes fuit: nam occupata a Langobardis maxima Italiae parte, Jus Justinianeum paulatim in desuetudinem abiit: & quamvis Langobardi Juri Rom. minime derogaverint; quinimo populis potestatem fecerint, quo jure vellent, vivendi vel Romano, vel Langobardico; attamen nonnulli credunt, id non de Jure Justiniano, sed de Codice Theodosiano accipiendum esse, vel potius de Breviario Aniani, ut existimat Gothofredus *d. l. cap. 7.* Utrum vero Corpus Juris Justiniane in Occidente post Justia. obitum usque ad Lotharium II. sive III. Imp. omnino interierit, an contra aliquis ejus

Tom. I. Lib. I.

F

usus

usus fuerit , certant inter se Viri eruditi ? Nonnulli autumant , oblivione sepultum jacuisse : & quoties in Langobardorum aliarumque barbararum gentium legibus mentio occurrit *Legis Romanae* , id potius ad Constitutiones Theodosianas , quam Justinianaeas referendum esse putant , sive potius ad Aniani Breviarium , quo reliquiae Juris Romani continebantur . Alii in diversam abierunt sententiam , existimantes *Corpus legum* a Justin. collectarum etiam sub barbarorum dominatione maxime in Italia extitisse , atque vim auctoritatemque obtinuisse .

Nos autem in tanto opinionum dissidio rem ita commode definiri posse censemus . Jus Justinianeum , prout ab ipso Imp. promulgatum , etiam in Italia viguisse post illius obitum , in locis praesertim Exarchatui Ravennatensi subjectis , pro comperto est ; sed in ceteris Italiae regionibus a Langobardis occupatis magis Codicem Theodosianum , vel Aniani Breviarium valuisse . Donec saeculo VIII. ejectis Græcis , finem Exarchatui imponeret Astulphus Langobardorum Rex ; exinde Juris quoque Justinianei auctoritas exolevisse videtur . Quamquam postea Græci Impp. partem Apu-

Apuliae & Calabriæ sæculo X. & XI. recuperassent, nec non Ducatum Neapolitanum, Amalphitanum, nonnullasque maritimas hujus Regni urbes tenuissent; in his tamen locis magis Basilicorum libros, quam Jus Justinianeum obtinuisse, credibile est. Postea autem sæculo XI. & XII. in Italia, præsertim Romæ, Ravenæ, atque in aliis vicinioribus urbibus Juris Justinianei auctoritas quasi postliminio revocata, renasci cœpit: qua de re plura nobis suppetunt testimonia: præsertim cum tempore Henrici II. Imp. valde queratur, utrum Clerici ex constitutione Justin. juramentum calumniæ subire quoque tenerentur, an immunes fierent ex constitutione Marciani, quæ extat in l. 25. §. 1. C. de Episc. & Cler. & quamquam Henricus Imp. pro omnibus Clericis sententiam dixerit, atque ad illos etiam generatim pertinere Marciani constitutionem, quæ pro Clericis tantum Ecclesiæ CPæ lata fuit, pronunciaverit; id tamen evidentissime evincit, Corpus Juris Justinianei tunc temporis in usu fuisse: quod si non de omnibus ejus partibus, saltem de Codice dubitari nequit.

Hinc altera oritur quæstio magna animo

morum contentione inter Eruditos agita-
ta , utrum nempe ante Lotharium II.
Imp. extitisse integrum Juris Justinianei
Corpus , omnesque ejus partes superfuissent ,
prout ab ipso Justin. editæ fuerunt ? Ple-
riique credunt , ante Lotharii æstatem Co-
dicem , Institutiones , & Novellas super-
stites fuissent ; Scriptores enim illorum tem-
porum de his libris non unam fidem fa-
ciunt : sed de Pandectis aliter sentiunt ,
arbitrantes illas temporum injuria peni-
tus intercidisse . Donec sæculo XII. cum
Lotharius II. Imp. cum Rogerio Siciliæ Rege
bellum gereret , in Amalphi urbe Salerno
proxima expugnata A. Chr. 1137. illa-
rum Codex repertus fuerit litteris antiquis
exaratus : quem Pisani Imperatorem clas-
se adjuvantes , Pisas in præmium navatæ
operæ transtulerunt . Pisæ vero post lon-
gam obſidionem a Cyno Caponio expu-
gnatis A. Chr. 1406. translatus fuit Flo-
rentiam , ubi in publico urbis palatio ad-
huc adſervatur , duobus constans volumini-
bus . Hinc celebre apud Jutis Auctores
Pandectarum Pisanarum vel Florentinarum
nomen . Hujus quidem Codicis tanta olim
veneratio erat , ut quando proferebatur ,
adensis id funalibus fieret , Monachis cir-
cum-

cumstantibus, summoque magistratu aper-
to capite, ut tradit Angelus Politianus in
Epiſt. ad Marquardum Breſacium lib. 10.
epiſt. 4. Quamobrem concludunt, hunc
Pandectarum Codicem Pisanum vel Flo-
rentinum esse illud ipsum $\omega\tau\omega\rho\alpha\phi\nu$, quod
publicavit Justin. quia litteris antiquissi-
mis, atque invicem connexis, sine inter-
punctionibus, & sine ullo vocum inter-
ſtitio conscriptus est, ut testatur idem Po-
litianus *cit. loc.* Idcirco arguunt, *arche-
typum* esse, ex quo reliqua exemplaria
descripta fuerunt. Hinc reperito hoc Co-
dice, jussu Lotharii Itnerius natione Ger-
manus Artium Professor in Schola Bononiensi,
primus Jus edocere, atque in Pan-
dectas ceteraque Juris Civilis partes glo-
fas scribere coepit: atque ut vulgo feruat,
idem Lotharius publico Edicto cavit, ut
Jus Rom. in Scholas publicas & Tribuna-
lia reciperetur, deletis barbarorum legi-
bus & institutis Italico nomine indignis.

Verumtamen quam longe horum sen-
tentia a veritate distat, operæ pretium
duxi nunc ostendere, maxime cum vi-
deo, nonnullos Cl. Viros, inter quos
sunt Balduinus in *Præf. de J. C. cap. 7.* Jan.
Vinc. Gravina in *lib. de ort. & prog.*

Jur. §. 140. & 141., & novissime Terrassonius *Histor. Jur. Rom. part. 3.* §. 2. hæc eadem sensisse, atque pro veris temere habuisse. Primo exploratum est, Justinianum plura suæ Compilationis in Italiam misisse exemplaria ad Scholarum, & Fori usum. Hæc autem permansisse integra, præsertim Romæ & Ravennæ Exarcharum olim sedis, ex multis rerum argumentis facile conficitur: testatur enim Odofredus in *L. 82. D. ad L. Falcid.* illud exemplar, quod Justin. Romanum misit pro publico Gymnasio, eo deleto, Ravennam translatum esse, quo Irnerius in explicandis legibus usus est. Secundo constat, ante Lotharium extitisse alia Pandectarum exempla, quæ vocantur *Vulgatae*, atque a Codice Florentino non suisse descripta, patet ex eo, quod Florentinæ Pandectaræ, et si duobus constent volumini bus, nullam tamen subiere divisionem. Contra Vulgatae antiquissimo quidem tempore in tres semper divisæ fuerunt partes, quæ diversis indigitantur nominibus, sc. in *Digestum Vetus*, *Infortiatum*, & *Novum*. Hujus vero divisionis origo, atque appellationis ratio non solum recentioribus, sed vetustioribus etiam ipsis Juris Interpretibus

tibus incognita fuit , testante Accurso in rub.
D. solus. marrim. , qui dum anxie exquirit ,
 cur *Infortiatum* appelletur , veritus , ne in er-
 rorem laberetur , nihil aliud , quanto varias
 priorum Interpretum recitat sententias : &
 revera cur ita appelletur , disputatur adhuc.

Præterea plurimæ in utrïque Codicibus
 cum Vulgatis , cum Florentinis deprehendun-
 tur variaz lectiones , diversæ tam legum ,
 quam paragraphorum divisiones , multaque
 additamenta in Vulgatis , quæ desiderantur in
 Florentinis ; & præ ceteris omnes illæ leges ,
 quæ in Florentinis Græce tantum extant , in
 Vulgatis vero et Græce et Latine occurunt ,
 et quandoque Latine tantum . Accedit , quod
 in Anglia etiam Digesta sœculo XII. fuisse
 lecta docet præter Schwartium in *Exercit.*
An omnia Pand. enemps. &c. in primis P. Bon-
dam in Animadvers. Crit. cap. ii. Ceterum
 consulendus est J. H. Bornius , qui hac de re
 pereruditam edidit Exercitationem . Hæc et
 id genus alia argumenta satis evincunt , Vul-
 gatas Pandectas multo ante sœculum XII. ex-
 titisse , neque à Florentinis esse descriptas :
 et quaenquam olim Florentinæ consuli ab In-
 terpretibus confuevissent , ubi variantes in edi-
 tionibus lectiones occurrerent , quia persua-
 sum illis erat , fuisse ipsum Justin. αὐτογε-
 σερ ; falsum id tamen esse , probarunt Ant.

Augustinus lib. I. Emend. cap. I. Jo. Mabillonius lib. g. de *Re Diplom.*, et Jo. Petrus de Ludewig in *Justiniano*, eo præsertim quia plurimæ in eo reperiuntur mendæ, multa ibi sunt interstitia et verba omissa, quædam mutata lineis super inscriptis, quæ authentico non convenient: imo numeri ibi inveniuntur, quos Justin. expresse prohibuit suis exemplaribus inseri in §. 13. de *concept.* *Dig.* et in §. 22. de *confirm.* *Dig.* Denique quia in eo non continentur centum quinquaginta millia paragraphorum, quos Pandectas continere, testatur ipse Justin. in §. I. de *confirm.* *Dig.*: et licet laudati Auctores non dissentur, antiquissimum esse illum Codicem, ita ut in dubio illius fidem sequi debeamus; post tamen Justin. tempora saeculo VII. et VIII. privati hominis et fortasse imperiti cura illum in Graecia scriptum esse judicant.

Quæ autem de Codice Pandectarum Amalphiæ reperto A. Chr. 1137. supra retulimus, pro commentitiis habet Guido Grandius in *Vindic. Sc.* idque probare nititur potissimum argumento negativo, cum nullus ex coævis Scriptoribus hoc memoriam prodiderit: imo observat Muratorius tom. XI. *Script. Rer. Italic.*, quemdam Franc. Raynerium de *Grancis Poëtam Pisanum saeculo XIV.*

XIV. primum fuisse , qui lib. 4. de praliis *Tusciae* memorat , Pandectas in direptione urbis Amalphitanæ repertas , Pisisque translatas . Sed his Grandii affaniis abunde satisfecit Cl. B. Tanusius , qui de hoc argumento optime meritus est . Ceteroquin falsa omnino sunt , quæ de Lotharii Edicto perhibentur , quo abrogatis barbarorum legibus Jus Rom. in Scholas et Tribunalia revocatum est : confutarunt enim hæc commenta solidis rationibus Lindebrogius in Proleg. ad Cod. leg. antiqu. et Conringius de Orig. Jur. Germ. cap. 21. Demum quæ de Irnerio vulgo traduntur , sequenti §. expendumus .

§. III.

De Juris Justinianei restaurazione .

QUAMQUAM a Sæculo usque X. in Italia , ceterisque Occidentalis Imperii provinciis reviviscere cœperit Juris Justiniani et auctoritas et studium , prætertim in Rom. Curia , auctore D. Bernardo lib. 1. de considerat. cap. 10. : quotidie perscripens in Palatio suo leges , sed Justiniani , non domini : nemo tamen aulus est , illud pur.

publice edocere ante Irnerium, qui primus (omisso Pepone nullius nominis hujus legitimæ Artis magistro) in Schola Bononiensi A. Chr. 1128. cum laude et ex dignitate cupidæ legum juventuti viam ad Jus Civile monstravit. Uirum vero id muneris jussu Lotharii II. Imp. suscepit, ab eruditis Viris dudum quæsum est. Quamplurimi autem deceperunt Sigonio, qui pro veris tradidit, quæ de Lotharii Edicto mox relata sunt, id constanter affirmare non dubitarunt. At aliorum judicio, quibus mens lœva non fuit, probatum est, Irnerium non jussu Lotharii, sed rogatu Mathildis Hetruriæ Comitis in Schola Bononiensi Jus Civile edocere coepit: siquidem ex certissimis historiarum monumentis constat, Irnerium multos annos ante Lotharii adventum in Italiam hoc munere functum esse. Plane ipse Sigonius, mutata priore sententia, hoc idem comprobat in *Argum. Histor. Bonon.*: cuius rei testimoni quoque habemus Abbatem Uspergensem in *Chronico*. Irnerius igitur genere Germanus, cum Ravennæ primum, postea Bononiæ Philosophiam, bonaque literas magna nominis fama professus esset, publicam eodem in loco Juris Scholam aperuisse perhibetur, ubi tanto cùm successu veterem le-

giam

gum doctrinam auspicatus legitur, ut publice ab omnibus *lucerna Juris* appellatur: atque Auditores nactus est plurimos, qui eamdem doctrinam, quam ab ipso hauferant, ulterius per universam Europam propagarent. Ita in Gallia Placentinus, in Anglia Rogerius Vacarius Jus Rom. professi sunt. Hinc itaque factum est, ut sensim in Scholas & Europæ Fora Jus Justinianum reciperetur.

Præ ceteris laudatur, quod glossas primus scribebat in Corpus Juris. Appellatione vero *glossæ* apud Veteres intelligebantur vocabula obscuriora & minus usitata, quæ explicatione indigerent. Postea quarilibet vocum obscurarum interpretationibus id nominis datum. Donec quibusdam tandem expositionibus apta se brevitate commendantibus vulgo tribueretur. Irnerius autem memor sanctionis Justin. qui commentariis leges suas vetuit, a prolixis commentariis se abstinuit, & brevissimis tantum scholiis, quæ vocantur *glossæ*, ipsam legum litteram, ut loquebatur, id est contextum Justin. explanabat. Hac sane in re imitatus est Jetos Græcos, a quibus jus didicisse in Schola CPna, scribit Cironius lib. 5. obseru. Jar. Canon. cap. 5. illi enim paulo post

post Justin. scholia in Corpus Juris scripterunt, ut patet ex scholiis, quæ Basilicorum libris inserta leguntur, e quibus multas glossas Irnerium desumptissime constat; nam plurima Basilicorum scholia cum ipsis Irnerii Latinis glossis similitudine contendunt. Eodem utilissimo instituto illustrandi leges brevissimis hypomnematis, usi sunt celeberrimi Irnerii discipuli & successores, inter quos eminent Martinus & Bulgarus, qui instar Sabinianorum & Proculianorum novarum sectarum in Foro Auctores per duo ferme secula extiterunt. Martinus quidem Capitoni fuit similis propter aulicæ vitium ambitionis, eoque apud æquales & posteros maxime invitus; Labeoni vero Bulgarus ob avitæ libertatis studium; qua de re apud populos & doctrina & gratia valuit. Ex utriusque schola quamplurimi prodierunt magni nominis Doctores: quorum alii Martini, alii Bulgari sequebantur sententiam. Sed quia antiquatum & veræ Philosophiæ studio destituti erant, a recto interpretationis tramite plerumque aberrasse eos, verasque legum Romana rationes ignorasse, notat Christ. Thomasius in *Delineat. Hist. Jur.* §. 155.

Eodem fere tempore nimirum Sæculo
XII.

XII. floruit Azo Bononiensis Bulgari discipulus, qui non glossas, sed epitomen scripsit, quæ vocatur *summa*, in magno pretio olim & hodie apud omnes habita. Post Azonem præ ceteris inclaruit ejus discipulus Franc. Accursius Florentinus, qui in solitudinem secedens omnium anteriorum glossas, suis passim intermixtis, in Corpus Juris Justiniane*i* stupendo labore & incredibili diligentia collegisse proditur A. Chr. 1220. ita ut in Pandectarum & Novellarum interpretatione septennium, in Cod. bie-nium consumperit, ut ipse de se testatur. Hic licet propter sæculi vitium nullo historiæ & elegantiorum litterarum præsidio munitus hallucinatus sæpe fit, in expli-candis tamen legibus adeo industrius, in sensibus etiam vestigandis acutus & solers, atque in legibus conciliandis felix admodum fuit: & quod magis est, similia loca ex universo Juris Corpore collegit, & con-traria mire composuit, adductis aliorum modo probatis, modo rejectis opinionibus, questionibusque plurimis utilissimisque ad locum excitatis, ac mira brevitate definitis, ut eleganter & scite observat Gravina *de Orr. & prog. Jur.* §: 155. Plane Accursio, Irnerio, ceterisque Glossatoribus debemus artem

artem illam, verbi causa, *casuisticam*, quæ veræ factorum species ex obscurioribus legum fragmentis commodissime eruuntur, concisi porro Veterum scribendi generis planiorem expositionem, usum denique forensem cum subtilissimis dubitandi & decidendi rationibus: quæ sane omnia Judicibus, caussarumque Patronis in caussis forenibus disceptandis plurimum conferunt.

Quamquam vero hæc ita se se habeant de eximiis Accursii, aliorumque Glossatorum meritis, eruditione & ingenii acumen, a nonnullis tamen & Mureto præsertim vapulant tum ob crebra Latinæ linguae vitia, tum maxime ob Græci sermonis inscitiam: nota enim sunt illa ipsorum Glossographorum dicteria: *Græcum est, non legitur: Græca sunt, quæ intelligi non possunt.* Sed hæc meræ sunt calumniæ putidaque commenta: multa enim in contrarium non spernendæ eorum in Græcis peritiæ argumenta suppetunt. In primis quidem satis constat, quamplutima in Pandectis Græca tum vocabula tum loquendi genera, integras etiam periodos Latinis plerumque versionibus non male ab illis redditas passim occurrere. Manifestissimum autem hujus rei argumentum exhibent Modestini frag-
menta

menta in tit. D. de excusat. tutor. quorum Græcam solum lectionem repræsentari Justin. Jusserat: sed Glossatores in Pandectis Vulgatis Græca ipsa non inscite interpretatos esse deprehendimus. Quod ad illa vero superiora attinet dictoria, tantum abest, ut Glossographi illis suam prodiderint inscriptiam, ut contra nihil aliud indicare voluerint, quam in exemplaribus, quæ præ manib[us] habuerunt, defecisse Græca verba, eaque propter nec prælegi ab ipsis potuisse, nec exponi: de quibus omnibus consulendus est Abrahamus Wieling in *Oratione*, quam pro Glossatoribus publice habuit Tracti A. Chr. 1739.

Ceterum his natalibus ad nos profecta est *glossata*, quæ vocatur, *Juris Civilis editio*, quatuor Justin. libros complectens, sc. *Pandectas*, *Codicem*, *Institutiones*, & *Novellas*: quæ omnium, quæ supersunt, & antiquissima & emendatissima censemur, & quam solam vim legum hodie in Foro obtinere, uno ore omnes Pragmatici testantur: alii quippe Juris libri, imo loca, antiquis Glossatoribus ignorata, quæ recentioribus editionibus infecta leguntur, pro privatis tantum habentur: cujus generis quamplurima a Cujacio, Contio, aliisque

que ex Corpore Basilicorum , ejusque Synopsi , tum aliunde eruta nonnullis Pandectarum & Codicis titulis acceſſerunt . Evidentissimum hujus rei exemplum in Novellis per novem vulgo Collationes distributis videre est : quarum glossata editio octo tantum & nonaginta suis illustratas scholiis , solasque in Foro usitatas completitur : qua de re vide Cl. Brunquel in *Hist. Jur.* Hæc sane omnia non nisi Glossatorum auctoritati tribuenda sunt , quæ in forensem mox tyrannidem degeneravit : adeo enim illa in Foro invaluit , ut qui fecuti sunt Interpretes , suam operam potius in glossis explicandis , quam in legum verbis intenderint : imo ex eorum sententia cauſam constituerint judicandam , quoties insignis aliquis Interpres eisdem adhæserit , teste Arthuro Duk lib. I. de Auctorit. Jur. Civ. cap. 8. Fatetur autem Raphaël Fulgosius in l. I. C. de his qui potest. nom. neminem ex scribentibus , etiamsi duo sint , prævalere Glossatori : atque in l. 6. C. de Q. & A. testatur , Advocatos & Judices adorari tamquam Idola Glossatores ; atque : volo enim pro me potius Glossatorem , quam textum ; nam si allego textum , dicunt Advocati diverse par-

pis,

ris, & etiam Judices: credis tu, quod Glossa non ita viderit illum testum, sicut tu, & non ita bene intellexerit, sicut tu. Verum optime notat Hagemerius de us. & auct. Jur. cap. 9. a Glossa recedendum esse, quoties vel aperte falsa est, vel optimis convincitur rationibus.

Post Accursium autem nemo amplius glossas scribere ausus est: saeculo enim XIV. nova quasi coepit Juris Civilis periodus & maxime omnium infelicissima, dum Bartolus, ejusque discipulus Baldus, ceterique alii quamplurimi ejusdem furfuris Interpretes novos in Corpus Juris adgressi sunt commentarios. Hi quidem subiles admodum sunt more scholastico, & in re futili nimis prolixij & verbosi, in difficulti multi, in angusta diffusi, adnotante Cujacio in l. 17. *D. de injust. rupt. irrit. test. ad lib. 3. respons. Papin.* imo saepe agunt sine ordine, sine antiquitatum, historiæ, & elegantiorum litterarum notitia, ut observat Muretus in *Orat. 1.* ubi agens de istorum scribendi methodo ait: *apud hos enim, ubi v. c. de auctoritate Magistratum agitur, dicetur aliquid de testamentis; ubi de emptione & venditione differitur, aliquid de pœnulis, aut de auctoritate tutorum inferetur:*

Tom. I. Lib. I.

G **nibil**

nibil est denique, quod certam sedem ad domicilium habeat, nihil quod non alienissimo æque facile, ac suo loco pertractatum reperiatur: & paucis interjectis: prorsus ut si quis paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria conderet, panem ex puto bauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet. Omitto barbarum dicendi genus, quo utuntur, & mixobarbaras cantiones; adeo ut non unam esse linguam dices, qua isti loquuntur, sed deterrium quemdam cinnum (ut lepide & false ait idem Muretus *cit. loc.*) ex foedissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluvione conflatum, olen-tēm, ut servus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, suem, canem, capram commixtam. Quamquam hæc vera sint propter illorum temporum vitium, non est tamen eis deneganda laus, præsertim quod legum doctrinam ad usum Fori accommodant, tot solutis quæstionibus quotidie in Foro emergentibus, quibus dirimendis Veterum scripta vix suffectura fuissent, ut ingenuæ fatetur Janus Vinc. Gravina *de Ort. & progr. Jur.* §. 164. Hinc, ut optimæ de iis judicat eximius Grotius *de J. B. & P. in Proœm.* §. 56. licet mali sa-pe

pe sint Juris conditi Interpretes , optimi tamen sunt novi Juris Conditores : multa enim in eorum scriptis & commentariis æquitatis principia passim deprehenduntur . Duravit hæc barbara Commentatorum periodus Sæculo XIV. & XV. ad tempora usque And. Alciati Jcti Mediolanensis , qui Sæculo XVI. Jurisprudentiam Rom. sublata pristina barbarie , nitori suo restituit , eamque ex antiquitatibus omnigenaque eruditione illustravit : quod ante eum frustra tentarunt Castilianæus , Cumanus , & Fulgosius . Ille sane primus signum substulit ad bene de Jurisprudentia sperandum . Hinc non solum plures ex ejusdem Schola prodierunt , qui puram legum doctrinam eadem docendi ratione propagarunt , sed quamplurimi extiterunt solidæ Jurisprudentiæ Cultores , qui ejus exemplum imitati sunt , & præcipue Goveanus , Augustinus , Duarenus , Donellus , Hotomanus , & præ omnibus Cujacius : quorum omnium vestigia secuti ceteri recentiores Jcti lucem Jurisprudentiæ Rom. haud minimam contulerunt . Atque hæc jam satis pro instituti ratione de origine & progressu Juris .

Prolegomenos Finis .





ELEMENTORUM JURIS CIVILIS

LIBER I.

De Jure Personarum.

Ad tit. III. Instit. b. l.

§. I.

De duplice hominum statu & qualitate.



Um Justiniano placuerit Cajum
secuto in l. i. D. de stat. hom.
omnem Institutionum materiam
in tres dividere partes, eo quia
jus omne, quo utimur, circa
tria potissimum objecta versari videtur,
G. 3 nempe

nempe circa *personas*, *res*, & *actiones*, licet de hac divisione altum vociferantur Triboniano mastiges; non immerito tamen in lib. I. *Instit.* de personis earumque jure agere instituit. Inscribitur hic titulus III. *Instit. de Jure Personarum*, rectius tamen in Pandectis de *Statu Hominum*. Status hominum, sive personarum ius sumitur heic pro hominum qualitate & conditio-
ne, cuius respectu homines variis juribus gaudent, & ad diversa vicissim officia obli-
gantur. Status vero duplex est, vel natu-
ralis, in quo omnes a natura constituti sumus liberi & æquales, vel civilis, quem quisque per Civitatis leges sortitus est. Hic rursus Jure Rom. triplex est, sc. *libertatis*, *civitatis*, & *familiae*. Justin. au-
tem hoc in libro eas proponit personarum divisiones, quæ ad libertatis familiaque statum pertinere videntur; quæ vero ad Civitatis Rom. statum respiciunt, omisit, forsitan mutato jam ac pene abrogato pri-
mogenito Civium Rom. & Civitatis Rom.
jure, ut recte observat Heineccius in *Ap-*
pend. lib. I. Antiq. Rom. in princ.

§. II.

§. II.

De hominum divisione in liberos & servos.

Ad princ. & ad §. I. II. & III.

Instit. b. t.

PRIMA JURIS DIVISIO CIRCA PERSONAS EST
illa Caji in l. 3. *D. de stat. hom.*
quam indicat Imp. in *princ. b. t.* ut
omnes homines aut sunt liberi, aut servi.
Libertas autem, a qua *liberi* vocantur,
definitur a Justin. in §. 1. *b. t.* & a Flo-
rentino in l. 4. *D. eod.* quod sit *facultas*
naturalis ejus, quod *cuique facere liber, nisi*
siquid vi aut iure prohibetur. Hanc sane
libertatis definitionem Florentinus secun-
dum Stoica præcepta tradidit. Stoici enim
apud Cic. in *Parad. cap. 5.* eleganter uno
verbo illam appellant *αὐτοπρογίαν*, id est *po-*
testatem vivendi ut velis: verum Ictus non
aliam heic definit libertatem, nisi quam
in hominem cadere, naturalis aut civilis ra-
tio finat: siquidem naturæ humanæ pro-
prium & conveniens est, omnes uniuscujus-
que actiones in naturali quidem statu in-
tra naturalem rationem, in civili vero
intra Civitatis leges subsistere. Quapropter

G 4

ita

ita possunt accipi hæc definitionis verba, nisi siquid vi aut jure prohibetur, id est, excepto, siquid jure & legibus vetetur: quoniam Sapientum omnium placito comprobatum est, non intelligi libertatem, nisi naturali rationi & legibus conformem. Optime igitur Aristoteles lib. 5. de Rep. cap. 9. ait: *non oportet existimare, servitudinem esse vivere ad reipub. administrandæ formam accommodate, sed salutem.* Hinc illud Stoicorum paradoxum: *solus sapiens liber, omnis stultus est servus.* Quare divine negat Papinianus in l. 15. D. de condit. inst. facere nos posse, quæ a pudore, pietate, denique a bonis moribus sunt aliena.

Ex hac libertatis definitione primum est nunc colligi, quid sit servitus. Servus contra nihil facit, quod lubet, cum omnes ejus actiones a domini voluntate & arbitrio pendeant. Docet Imp. in §. 2. b. 2. ex eodem Florentino in d. l. 4. eam a Jure Gentium introductam esse, cum ait: *servitus autem est constitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjecitur:* intellige a Jure Gentium voluntario, quod illud esse, in Prolegomenon part. 1. cap. 2. §. 2. demonstravimus, quod ex

ex libera populorum moratiorum voluntate vim obligandi accepit: inter Gentes enim propter utilitatem quamdam olim quasi convenisse videtur, ut capti hostes in servitatem redigerentur, quo magis sc. ab eorum cæde abstineretur. Hinc derivata videtur nominis *servi* allusio a *servando*, ut traditur in §. 3.. b. r. quia Impp. captos hostes magis servare & vendere, quam occidere solebant, teste D. Augustino de *Civit. Dei lib. 19. cap. 15.* Illud autem verbum in d. §. 2. b. r. *contra naturam* accipiendum puto de statu naturali, cui servitus adversatur: nam in statu naturali omnes homines nascuntur liberi & æquales, cum *natura sit communis*, ait Saturninus in l. 12. §. ult. *D. de accus.* id est, cum in omnes ex æquo vim suam diffundat, nec liberum a servo distinguat. Cum itaque Florentinus in d. l. 4. inquit, libertatem esse *naturalem facultatem*, servitutem vero *contra naturam*, indicat, opinor, libertatem Naturali Jure contineri, servitutem autem esse contra statum naturali Jure Gentium voluntario introductam.

§. III.

§. III.

*De modis, quibus fiunt servi, eorumque
conditione, & de liberorum ho-
minum differentia.*

Ad §. IV. & V. Instit. b. s.

Proponuntur in §. 4. b. s. ab Imp. ex Marciano in l. 5. §. 1. *D. de stat. homi* modi, quibus fiunt servi: & quidem vel Jure Gentium vel Civili; Jure enim Gentium ex captivitate, cum nimis in bello capiuntur; Jure vero Civili propter poenam, veluti cum ad metalla, vel ad bestias quis ob crimen damnatur: vel qui se venundari passus est pretii participandi cassa: quod intelligitur, si major sit vi- ginti annis, & pretium participat, igno- rante tamen emptore illum esse liberum: alioquin licebat ei in libertatem procla- mare l. 7. in princ. *D. de liber. cauf.* Id vero constitutum videtur non propter con- ventionem, nam *conventio privata servum quemquam, neque libertum alicujus facere posset*, ait Callistratus in l. 37. *D. eod. l. 10. C. eod.* sed propter poenam, quæ irrogatur iis, qui hanc inibant conventio- nem

nem Jure Civili prohibitam. Demum servi etiam nascuntur, cum nempe ex ancillis nostris gignuntur, & appellantur *verne*. Ceterum sunt nonnulli, qui licet ad servorum miseram accedere viderentur conditionem; inter liberos tamen homines magis accensabantur, quales erant *nem* & *addicti*. Erat quidem *nexus*, teste Varrone lib. 6. de ling. *Latin*. qui præbere tenebatur suas operas in servitute propter pecuniam, quam debebat. Dicebatur vero *addictus*, quem lex servire jubebat, donec solverit: soluto autem debito, a servitute liberabatur, invito etiam domino, & manebat ingenuus, ceu potat Quintilianus lib. 7. I. O. cap. 3. Parviatione; quos ab hostibus redemimus pretio soluto, ii nobis ita serviant, ut tantum pignoris vinculo teneantur, donec satisfecerint l. 43. §. 9. D. de legat. i. l. 7. D. de capt.

Demum in §. 5. b. s. ait Imp. ex eodem Marciano in d. l. 5. in princ. D. de stat. hom. in servorum conditione nulla est differentia: & recte; omnes enim pari conditione censentur, sive fiant, sive nascantur servi: quæ sane conditio apud Rom. durior erat, quam apud ceteras Gentes; quoniam illi non inter personas, sed inter res

res accensebantur & pecudes, ita ut a domino vendi, permutari, oppignorari, impune male haberi & occidi possent, imo pro nullis & pro mortuis haberentur. Quamquam vero in magnis familiis, quoad externam ministerii conditionem, officiis inter se differrent; nam alii erant dispensatores, alii medici, alii symphoniaci & comedii, alii lecticarii & similes: quandoque erant servi vicarii, qui ordinariis servis serviebant: unde nata distinctio inter *servos ordinarios* & *vicarios*: omnes tamen pari modo erant servi. At quoad liberos, subiectit ibidem Imp. multæ differentiae sunt, quarum una est illa, ut vel sint ingenui, vel libertini, de quibus agitur in seqq. titulis.

De Ingenuis.

Ad tit. IV. Instit. b. l.

VAriis exemplis explicatur hec ab Imp. qui sit ingenuus. Profecto si proprie in genere hac conditione censetur, qui numquam in justa fuit servitute. Quare

re si quis *āngenuus* errore pro servo habi-
tus, postea sit manumissus, quæritur in
§. 1. b. t. quanam conditione sit habendus;
ingenuus ne, an *libertinus*? respondet Mar-
cianus in l. 5. D. de *stat. hom.* *ingenuum*
manere; quia manumissionem non officere
natalibus, id est, ingenuitati, constitutum
est: aliud quippe est, *in servitute manere*,
aliud *servum esse*; quemadmodum aliud
Prætorem esse, aliud *Prætura fungi* l. 3.
D. de *offic. Præt.* Ceterum ut quis sit
ingenuus, sufficit, tantum ex matre libera
quoquo modo nasci (patris autem con-
ditio non attenditur) sive hæc fuerit
tempore partus, sive conceptionis, sive me-
dio tempore; nam si postea ancilla fiat,
nihil interest, ea potissimum ratione, quam
ex Marciano in d. l. 5. adfert Imp. in
princ. b. t. quia non debet calamitas ma-
tris ei nocere, qui in ventre est. Quid si
mater quoquo temporis momento fuerit
serva? Jure Civili cautum est, ut nati ex
utero servili tamquam pars viscerum ma-
ternorum matris conditionem sequerentur
ex illa Juris regula: *partus ventrem sequi-*
tur. At si rem ex simplicitate Juris Gen-
tium expendamus, vernam liberum nasci
dicendum est; quia nec pacto nec delicto
ser-

servitutem meruit. Ingenuis vero proximi olim erant ii, qui cum essent libertini conditionis, jura ingenuitatis conseqüebantur, obtinentes a Principe jus aureorum annolorum, salvo tamen manente patronatus jure l. 4. 5. & 6. *D. de J. aur. annul.* ita ut quasi ingenui viverent, morirentur quasi liberti l. unic. *C. ad L. Viselliam.* Plenissimam vero adipiscabantur ingenuitatem restituzione natalium, quam παλιγγενερίας vocat Justin. *Novel. 78. cap. 1.* & 2. Verum idem Justin. *d. Novel. 78. cap. 1.* & 2. substulit has de ingenuitate quæstiones, cavitque, ut omnes liberti essent ingenui, nullo impetrato a Principe jure aureorum annolorum, vel natalium restitutioonis beneficio, salvo tamen patroni jure, a quo abdicare, si vellet, poterat patronus *Novel. 78. cap. 1.* & 2.

De

De Libertinis.

Ad tit. V. Instit. b. l.

§. I.

De libertinorum nomine, de manumissionis origine, modis, & rite.

Ad princ. & ad §. I. & II. Instit. b. r.

MEmoriæ prodidit Suetonius in *Claud.* cap. 24. olim *libertinos dictos fuisse*, non *ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos eis bis procreatos*. Sane ex Cicero & Livio satis constat, antiquitus ingenuos non fuisse, qui patrem ciere non possent, vel quorum majores servitutem servierant: quod Claudiu[m] Cæsarem ignorasse, notat idem Suetonius; nam jam suò tempore nati ex libertinis habebantur ingenui. Hinc factum est, ut qui manumitterentur, dicerentur postea etiam *libertini*, ita ut inter hæc duo nomina, nempe inter *liberos* & *libertinus* hoc interesset, ut ratione patronorum nuncuparentur *liberti*, velu-

veluti *libertus Cæsar*, ratione status ab ingenuitate diversi appellarentur *libertini*, ut notat Oiselius ad *Cajii Instit. lib. I. tit. 1.* Liberti igitur sive libertini definiuntur in *princ. b. t. & a Cajo in l. 6. D. de stat. hom.* qui ex *justa servitute manumissi* sunt. Manumissio autem est e manu sive potestate *justa dimisso*, cum nempe dominus liberum suum servum facit, e potestate sua eum dimittens: sæpe enim in Jure manus potestatem notat. Refert Imp. in *princ. b. t. ex Ulp. in l. 4. D. de J. & J.* manumissionem a Jure Gentium, nempe voluntario originem trahere, posteaquam enim Jure Gentium servitus invasit, secutum est beneficium manumissionis, ait Ulp. in *d. l. 4.* Verum postea a Jure Civili certos ritus & solemnitates accepit. Quare cum quibusdam formulis apud Magistratum expedienda esset, a Jetis inter *actiones legis* adnumerata fuit. Modi autem, quibus apud Rom. libertas servis dabatur, multiplices erant, quidam magis, quidam minus solemnnes: de nonnullis tamen in hoc *tit. 5.* agit Justin. ceteros vero prosecutus est Heineccius *lib. I. Antiq. Rom. tit. 5.*

Primo loco fit mentio in §. 1. b. t. de
ma-

manumissione, quæ in sacrofæctis Ecclesiis tempore Christianorum Impp. fieri consueverat, a Constantino M. introducta, ut testatur idem Constant. in *l. 1. C. 2.* *C. de bis qui in Eccles. manumit.* ubi pro hujus manumissionis ritu dilerte requirit populi præsentiam & Antistitis illis verbis in *d.l.*

1. si sub adspectu plebis adfistentibus Christianorum Antistitis id faciant. Idem in *d.l. 2.* confirmat: *sed hoc duntaxat bis, qui sub adspectu Antistitum dederint.* Unde facile intelligitur, verbum *Ecclesia* non basilicam denotare, sed cœtum Fidelium, ut ex usu illorum temporum observat Ever. Otto in *Præfat. Tom. II. Thes. J. C.* contra Jac. Gothofredum, qui templum sive basilicam interpretatur, autumans, hunc manumittendi modum introductum fuisse apud Fideles exemplo Gentilium, qui manumittere solebant etiam in templo vel ad aras Deorum.

Inter modos vero antiquos manumittendi, & quidem solemniores primum locum fibi vindicat *manumissio per vindictam*, ideo inter actiones legis adnumerata, quia solemni modo explicanda erat, sc. *per festu-*
cam, alapam, & vertiginem; cui adlusit Persius *Satyr. 5. vers. 75.*

Tom. I. Lib. I. H

.... *Heu*

..... *Heu steriles veri, quibus una
Quiritem*

Vertigo facit

cum nempe manumittendus dextra prehensus a domino rotabatur; inde verbum *circumagi* pro *tiberari* apud Veteres. Dixi hanc manumissionis speciem inter actiones legis adnumeratam esse, idcirco expedienda erat apud Magistratum, cuius erat legis actio, id est, apud quem lege agi poterat. Quare fiebat apud Praetores in Urbe, & apud Proconsules vel Praesides in Provinciis, non solum in jure, sed etiam extra, nam saepe transeuntes per vias, aut ad theatrum vel balneum euntes libertatem servis addictebant §. 2. b. r. jurisdictione enim voluntaria non solum in jure & sessionum diebus, sed quolibet etiam loco & tempore exerceri poterat. Ritus autem hujus manumissionis eleganter describit laudatus Heineccius cit. loc.

Alter solemnis manumissionis modus ex L. XII. Tabb. descendens, erat per testamentum, idque dupli modo. Primo si dominus servum suum instituebat heredem. Secundo si verbis directis in hunc modum. *Cajum servum meum liberum esse jubeo.* Verum tunc liber evadebat, cum adita esset

esset ex testamento hereditas *l. 23. D. de manumis. restam.* Fiebat itaque *libertus Orcinus*, quasi in Orco apud Inferos patronum suum haberet; qui etsi non alium, quam defunctum patronum haberet, appellabatur tamen *familiae libertus l. 48. D. eod.* quia ad familiam defuncti pertinebat, & de ejus nomine censebatur: qua de re consule Cujacium *lib. 3. observ. cap. 23.* Si igitur testamento directis verbis & quidem pure data esset libertas servo, qui in potestate testantis erat tempore scripti testamenti & mortis *l. 35. D. eod.* statim adita hereditate evadebat liber. Sin testator adderet diem vel conditionem, tunc dicebatur *statuliber*, nec liber erat, nisi adveniente die vel conditione *l. 1. D. de statulib.* interim manebat servus heredis *l. 29. D. eod.* Hæc si directis verbis data esset libertas, quæ & *directa* dicebatur; contra erat, si testator adhiberet verba precativa hinc modo: *rogo heredem meum, ut servum manumittat*: tunc servo competit libertas, quæ vocabatur *fideicommisfaria*, & quam servus non conseqüebatur, nisi facta prius ab herede manumissione; idcirco ille fiebat libertus heredis.

Præter istos & alios, quibus solemni &
H 2 le-

legitimo ritu servi evadebant liberi, ceu patet ex *tit.* C. pro quib. cauſſ. serv. pro præm. libert. accip. & ex *tit.* C. commun. de manuſſ. ad quos provocat Justin. in §. 1. b. t. istis verbis: *qui tam ex veteribus, quam ex nostris constitutionibus introducti sunt.* Erant olim & alii modi minus solemnies manumittendi, veluti *per convivium*, quando dominus servum jubebat eodem in lecto cum amicis accumbere, quod summo semper honoris loco habitum apud Veteres, ostendit Guil. Fornerius lib. 3. select. cap. 13. vel *per epistolam*, cum servum suum dominus liberum vocabat, vel *inter amicos* liberum eumdem appellans. Sed in his omnibus Justin. exigit quinque testium præsentiam, aut subscriptionem b. unic. §. 1. C. 2. C. de Latina libert. roll.

§. II.

De triplici antiquo libertinorum statu a Justin. sublato.

Ad §. III. Instit. b. t.

DEmum proponitur in §. 3. b. t. triplex libertinorum status. Antiquitus sane

sane omnes manumissi ex beneficio Servii Tullii, qui libertinæ fuerat conditionis, teste Halicarnassensi lib. 4. *Antiq.* civitate Romana donati erant, & in quatuor urbanas tribus tamquam viliores descripti. Res postea novis legibus sub Cæsaribus mutata est: nam alii, qui libertatem justam & maiorem obtinebant solemnioribus manumissionis modis, dicebantur *Cives Romani*, quia Jure Quiritium gaudebant. Alii, qui manumissi per convivium vel per epistolam, vel præter legis *Ælia Sentia* formam, dicti sunt *Latinini Juniani*, quia non Jus Quiritium, sed illud Latinorum, quo in coloniis Latini utebantur, obtinere statutum est a L. Junia Norbana lata sub Tiberio A. U. 771. Isti quidem, et si libertate gauderent, moriebantur tamen ut servi, dominis eorum bona jure peculii occupantibus, ut testatur Justin. in §. ult. *Instit.* lib. 3. de *succes. libert.* Alii demum erant *liberti dedititii*, ita dicti, quia similes erant hostibus Pop. Rom. qui se suaque dedi-
dissent: hi quidem nec Jus nec libertatem Quiritium consequebantur: quod libertinorum genus introductum fuit sub Augusto a L. *Ælia Sentia*, ne Civitas Rom. impleretur colluvie improborum hominum, qua-

les erant servi fugitivi , fures , vel ob aliquod delictum damnati ; contorti & notis compuncti . Sed Justin. duabus constitutionibus , ut egregie animadvertisit Jan. a Costa in d. §. 3. b. t. has omnes inter libertos differentias substulit : prima enim scripta ad Julianum PP. quæ extat in l. 2. C. comm. de manumis. substulit discrimin ætatis , quæ ex L. Aelia Sentia requirebatur tam in servo , quam in domino manumittente ; altera scripta ad Jo. PP. in l. unic. C. de Latin. libert. toll. omnes manumissionis modos exæquavit , omnesque libertos Jure Civitatis Rom. donavit : quæ omnia mira brevitate complectitur illis postremis §. 3. b. t. verbis : *O* omnes libertos nullo nec ætatis manumissi , nec domini manumissionis , nec manumissionis modo discrimine habito , sicut antea observabatur , civitate Rom. donavimus .

Cui

*Cui & quibus ex caussis manu-
mittere non licet.*

Ad tit. VI. Inst. b. l.

§. I.

*De Legis Ælia Sentia ætate, & capitibus
quibus libertas impeditur.*

*Ad princ. & ad §. III. IV. V. & VI.
Inst. b. s.*

QUAMQUAM servi a dominis quolibet loco & tempore manumitti possent, ex L. tamen Ælia Sentia lata sub Augusto A. U. 757. Sex. Ælio Cato, & C. Sentio Balbo Coss. quæ quandoque in Jure sub nomine *Sæti* occurrit, ut in *l. unic.* §. 1. *D. de offic. Cons.* & in *l. 4. C. quæ manumit. non poss.* nisi ibi mavis intelligere *Sæta*, quæ ad L. Æliam Sentiam postea condita sunt: quod verius puto. Ex hac, inquam, lege pluribus de caussis impedi- batur libertas. Primo si servi essent credi-

toribus obligati : tunc non licebat in fraudem creditorum eos manumittere : alioquin si essent dolo malo manumissi , data libertas non valebat . Utrum vero ipso jure nulla , an opus esset rescissoria actione , quæstionis est ? Putant Oiselius ad lib. i. *Instit.* *Caj. rit.* i. §. 5. & Jan. a Costa ad *princ.* b. t. nullam ipso jure esse . Sed contra Schultingius ad eundem locum Caji , a Prætore rescindi oportere probat *l. i. C.* qui manumisit . non poss. si id nempe urgerent creditores : antea enim manumissus in eorum fraudem , veluti statuliber erat *l. i. D. de Statulib.* Secundo si dominus multum obæratus non esset solvendo , tunc in fraudem creditorum non licebat etiam servos manumittere , idque non solum manumissione facta inter vivos , sed etiam per testamentum , ut ibidem probat idem Schultingius . Quomodo autem æstimanda sit manumissio in fraudem creditorum facta , veteres Jœti dissensisse videntur , ut innuit Justin. illis verbis in §. 3. b. t. *pœvaluuisse tamen videtur.* *Cajus* in *l. 10. D.* qui *O* a quib. manumisit . putabat , id ab eventu tantum æstimari oportere , cum nempe dominus datis libertatibus desiturus est , solvendo esse . *Julianus* tamen sentiebat in *l. 15. D. de his que*

quaे in fraudem, &c. ut cum eventu concurreret quoque debitoris animus fraudandi creditores : quaे sententia a Justin. in d. §. 3. comprobatur, ita tamen ut utrumque creditores in judicio probare tenerentur, alioquin libertas data non impediebatur : quod fane intelligendum de libertatibus directis verbis datis, sc̄us verbis precativis ; tunc enim spectatur exitus & eventus rei , ut post Mynsingerium notat Vinnius in d. §. 3.

Alterum vero legis Æliæ Sentiaz caput continetur in §. 4. b. 2. quo cavebatur, ne minor viginti annis suo arbitrio servum manumitteret, nisi per vindictam probata caussa apud Consilium . Hujus autem ratio ea ferme fuit, ne minores lubrico ætatis servos manumitterent turpibus ex caussis, patrimonium, quod in servis plurimi æstimabatur, hoc modo dilapidantes, vel potius ex Jan. Vinc. Graviz sententia in lib. de Legib. & Sctis §. 19. ne adolescentibus judicii expertibus temere liceret dare reip. civem aliquando turpissimum . Cum itaque ex hac lege in manumitten te iusta requiratur ætas, ut suo arbitrio servum libertatem dare possit, quæsitum est, utrum annus vicesimus inceptus pro completo habendus sit ? & fane contra iuriis

ris regulas in hoc casu annum vicesimum coeptum pro completo habitum fuisse colligitur ex l. 74. §. 1. D. ad Sctum Trebel.

Præterea vult eadem lex Ælia Sentia, ut servus triginta annis minor non manumittatur, nisi per vindictam probata prius justa causa apud Consilium, alioquin non valeret libertas, teste Ulp. in *Fragm. tit. 1. §. 12.* siquidem ætas major triginta annis etiam ad qualitatem manumittendorum pertinebat. Quid si manumissus fuerit testamento? ait ibidem Ulp. ex L. Ælia Sentia liberum jure non esse, sed in libertate tantum morari, nempe non cogi domino servire, in reliquis vero pro servo haberi. Idcirco quos ad plenam libertatem perduci volebant, eis ita domini libertatem testamento dabant: *liberi sunt, cum annorum erint triginta l. 39. §. 2. D. famil. arcisc.* donec per L. Juniam Norbanam minores triginta annis testamento manumissi, fierent Latini Juniani. Consule Schultingum in *Nor. ad Ulp. Fragm. tit. 1. §. 12.*

Quæ vero fuerint justæ manumissionis causæ, exponuntur in §. 5. b. t. quæ partim ex eadem lege, partim ex quibusdam Sctis profluxisse videntur, ut est illa ancillæ manumittendæ matrimonii caussa,
quæ

quaे ut recte docet Heineccius lib. I. *An-*
tiquit. tit. 6. §. 5. non ex hac lege,
 quia tunc nondum licebat civib⁹ ducere
 libertinas, sed ex quodam Scto postea ad-
 missa fuit ad rationem legis Juliaz & Pa-
 piæ l. 13. *D. de manumis. vind.* Ceterum
 justam manumissionis caussam illam existi-
 mandam putat Ulp. in l. 16. *D. eod.* quaे
 non ex luxuria, sed ex affectu descendit;
 qualis est sanguinis conjunctio: qua de re
 vide Theophilum in d. §. 5. b. r. Quod
 vero dicitur de servo manumittendo pro-
 curatoris habendi caussa, recte intelligit
 Gujacius lib. 21. *obseru. cap. 16.* de pro-
 curatore ad lites, non ad negotia. Justæ
 igitur manumissionis caussæ apud Consilium
 probandæ erant, quia manumissio caussa
 cognita facienda erat & decreto confirman-
 da. Consilium autem Romæ nihil aliud
 fuisse accepimus; quam confessam decem
 virorum litibus judicandis, quinque Sena-
 torum, totidemque Equitum: in provinciis
 vero viginti Recuperatorum, sive Judicum,
 per quos jus quisque recuperabat suum,
 eosque cives Rom. esse oportebat, teste
 Ulp. in *Fragm. tit. I. §. 13.* Vide Jac.
 Rævardum lib. *Protribunal. cap. 18.* & 19.
 At quid si caussa semel fuerit in Consilio
 pro-

probata , & libertas servo addicta , posse
vero reperiatur falsa , utrum libertas data
retractetur ? non retractari probat Justin.
in §. 6. b. t. quod favore libertatis in-
troductum est ex rescripto D. Pii in l. 1.
C. de vindict. l. 9. §. 1. D. de manumiss.
vindict. ubi ait Marcianus : nam cauſſa
probationis contradicendum , non etiam cauſſa
jam probata retractanda est .

§. II.

*De exceptione legis Ælia Sentie , ejusque
emendatione a Justin. facta .*

Ad §. I. II. & VII. Inst. b. t.

QUAMQUAM hæc ita cauta sint a L.
Ælia Sentia , quæ ex cauſſis mox
recensitis libertatem impeditiebat , lo-
cum tamen non habebant , quando domini-
nus obœratus , licet solvendo non esset ,
servum suum heredem cum expressa liber-
tatis datione institueret , tunc enim ex ea-
dem lege permisum ei erat , vel in frau-
dem creditorum manumittere ; si tamen
unum , non plures servos heredes fecerit ,
nec non si nullus alias ex testamento he-
res

res extiterit, non solum primo, sed ne se-
cundo quidem gradu institutus *l. 55. &*
57. D. de hered. instit. Id autem ex ipsa
L. *Ælia Sentia* constitutum fuit, quæ de-
functi existimationi prospicere voluit: nam
Romanorum moribus opprobriosum erat bo-
na possideri & vendi a creditoribus nomi-
ne defuncti. Quare instituto a domino ser-
vo herede necessario, bona non defuncti,
sed servi heredis nomine a creditoribus pos-
siderentur & venderentur *§. 1. b. r.* Quid si
dominus servum heredem fecerit sine ex-
pressa libertatis mentione? fuit quidem a
veteribus Jctis dubitatum, utrum servus hac
in specie & heres & liber fieret? negarunt
quamplurimi nudis testamenti verbis inhæ-
rentes: sed Paulus inter ceteros affirmavit, id
que ex tacita & præsumpta voluntate testato-
ris. Hinc Justin. tum in *§. 2. b. r.* tum in
l. 5. C. de neceff. serv. hered. instit. quæ
est una ex quinquaginta decisionibus *Cod.*
reper. prælect. insertis, quæstionem hanc in-
ter veteres Jctos dirimens generaliter san-
civit, ut servus a domino heres institutus
nulla libertatis facta mentione, non solum
heres, sed etiam liber evaderet; idque
conficitur *ex ipsa scriptura institutionis*, sc.
ex ipsa tacita testatoris voluntate, ait idem
Imp.

Imp. in d. §. 2. b. r. Pari ratione permisum quoque erat minori viginti annis, necessarium heredem instituendo, servum suum libertate donare: & præfatur Paulus in lib. 1. ad L. Æliam Sentiam in l. 27. D. de manuiss. testam. qui potuerint apud Consilium manumittendo ad libertatem producere, possunt etiam necessarium heredem facere, ut hæc ipsa necessitas probabilem faciat manumissionem.

Diximus, minorem viginti annis, et si de omnibus bonis testandi haberet potestatem, libertatem tamen testamento dare per L. Æliam Sentiam non posse. Hoc emendavit Justin. in §. 7. b. r. qui locus in universo Jure singularis est, ubi hoc constituit Imp. adnotante Cujacio hoc in loco, permisitque minori decimo septimo anno jam expleto, testamento manumittere, ducto argumento *a simili*; nam si minori decem septem annorum datum sit a lege in jure postulare, cur non & in testamento libertatem dare? existimans igitur Imp. illum, cui lex postulandi facultatem dedit, habere etiam firmum rectumque judicium testamento manumittendi, voluit in similibus idem jus esse. Unde illa in Foro regula: *qua non differunt ratione, non*

non differunt Juris dispositione. Sed hoc iterum mutatum est Novell. 119. cap. 2. ex qua desumpta est Ausbent. sed hodie C. qui manumitte, non poss. qua minori quatuordecim ann. permittitur quoque testamento manumittere.

De Lege Fusia Caninia sublata.

Ad tit. VII. Instit. b. 1.

E Gimus mox ante in superiore titulo de L. Ælia Sentia, agamus nunc de L. Fusia sive Furia Caninia lata sub Augusto A. U. 751. Sex. Furio Camillo, & C. Caninio Galbo Coss. Hæc quoque licentiam manumittendi in ultimis voluntatibus coërcebat, eadem ferme ratione, ne sc. Pop. Rom. nimia libertorum multitudine aquætus servili sanguine pallueretur: quod maxime Augusti temporibus contigisse, testatur Dion. Halicarnas. lib. 4. *Antiq.* siquidem domini morientes sæpe testamento servos omnines, etiam turpissimos homines manumittere solebant, liberalitatis gloriam apud Pop. post mortem aquæupantes, vana quo-
due

que & stulta ambitione ducti, ut in funeris pompa magna libertorum pileatorum turba defuncti patroni lecticam prosequetur. Quapropter hac lege Fusia certus modus constitutus est manumittendi in ultimis voluntatibus, ultra quem non valeret manumissio, teste Paulo *lib. 4. sentent. tit. 14. §. 4.* ubi haec refert: *subductis igitur e duobus usque ad decem pars dimidia: a decem usque ad triginta pars tercia: a triginta usque ad centum pars quarta: a centum usque ad quingentos pars quinta.* Plures autem quam centum ex maiore numero servorum manumitti non licet: etiamsi dominus viginti millibus servorum familiam auctam habuisset, quales Romæ fuisse testantur Seneca, & Athenæus. Cum Paulo convenit fere etiam Cajus, qui tamen manumittendrum numerum paulo distinctius inivit *lib. 1. Instit. tit. 2. §. 1.*

Moriens igitur dominus in testamento servorum nomina exprimere debebat, vel loco nominis demonstrationem adhibere; idque ex Scto Orficiano cautum docet idem Paulus *d. lib. 4. sentent. tit. 14. §. 1.* quod si modum excederet a lege constitutum, ii libertatem consequebantur, qui primi erant scripti, ceteri in servili condi-

ditione manebant. Sin nomina servorum non expresserit; vel confuse vel in circulo scripserit; adeo ut dignosci non posset, qui primus vel postremus scriptus esset, nemo ex hac lege manumitti poterat. Quoties vero codicillis testamento confirmatis datae libertates erant, concurrebant cum illis testamento datis, ita tamen ut semper novissimo loco haberentur, qui codicillis essent manumissi, & si numerum excederent, libertatem amitterent, auctore Paulo *cit. loc.* Substulit autem hanc legem Justin. tum in *b. t. Inst.* tum in *I. unic. C. eod.* vel quia libertati invide-re existimabat, vel quia inhumanum erat, ut ipse fatetur, *vivos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia caufsa impedit libertatem, morientibus autem hujusmodi licentiam adimere.* Sed haec argumentatio ab alienatione inter vivos ad testamenti factionem, quamvis aliquando a Jēsis adhibita sit, ea de caufsa, quam expressit Quintilianus *Declamat.* 308. hoc tamen casu inepta nonnullis videtur, licet eam vindicer Heineccius in *Defens. compil. Jur. Rom.*

*De His qui sui vel alieni
juris sunt.*

•  *Ad tit. VIII. Instit. b. l.*

Altera proponitur a Justin. in *tit. VIII. Instit. b. l.* personarum divisio: quædam enim sunt sui juris, & dicuntur etiam *patresfamilias*, quædam alieni juris, quarum in numero sunt servi & filii *familias*. Agit in primis Imp. in §. 1. b. i. de dominica in servos potestate, quam Juris Gentium esse ait: sed quod de jure vitæ & necis apud omnes Gentes testatur, a vero abhorret, ut demonstravit Bodinus *lib. 1. de Rep. cap. 3.* nam apud Hebræos, Athenienses, aliasque Gentes simile jus non fuit; apud quos mitiorem servi habuerunt fortunam, quam apud Rom. Imo negat Grotius *lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 28.* de plena & interna justitia illud in servos dominis competere, cum non nisi ad remp. tantum pertineat in omnes homines sive servos sive liberos. Attamen negari nequit, potuisse remp. illud domino concedere, tamquam magistratui domestico, si ser-

si servus in familiam deliquerit : illius enim interest servum & emendari & servari, ne patrimonium imminuat; quemadmodum apud Rom. diu observatum accepimus, ad tuendam nempe rei familiaris utilitatem.

Sed quoniam domini hoc summo jure a rep. sibi concessio abuterentur, saepe sine causa & pro lubitu servos necantes, placuit tandem, mutata jam reip. forma sub Cæsaribus, tantam dominorum potestatem restringi, data primum ab Augusto potestate Praefecto Urbi audiendi querelas servorum de dominorum injuriis expostulantium, ceu patet ex Seneca *lib. 3. de benef. cap. 22.* Postea Claudius Scto cavit, ut illi domini, qui servos ægrotos exponentes derelinquebant, vel sine causa necabant, alii servorum amissione, alii ordinaria homicidii poena punirentur, teste Suetonio in *Claudio cap. 25.* Deinde successit lex Petronia Cæsonia lata sub Nerone A. U. 814. quæ vetuit, dari ad bestias servos sine prævia Judicis sententia *f. 11. §. 1. D. ad L. Coru. dœ sic.* Hadrianus vero, quod uno casu lex Petronia, ipse generliter constituit, servos omnino occidi prohibens, aut lenoni vel lanistæ vendi, ut

testatur Spartacus in ejus vita cap. 18.
 & meminit Modestinus in d. l. 11. §. 1.
 & 2. ubi docet, post legem Petroniam
 & Scita ad eam legem dominis ablatam
 fuisse potestatem suo arbitrio tradendi ser-
 vos ad bestias depugnandas, quemadmo-
 dum Hadriani constitutione omnem necan-
 di licentiam, additque, *oblaro tamen Ju-
 dici servo, si iusta sit domini querela, sic
 poena tradetur.*

Postea Antoninus Pius, de quo loquitur
 Justin. in §. 2. b. r. nominatim cavit,
 ut qui servum suum sine causa occiderit,
 non minus puniretur, quam qui alienum
 servum occidisset, nimirum ut ordinaria
 homicidii poena teneretur. Imo rescripto
 suo, cuius verba elegantissima recitat Ju-
 stin. in d. §. 2. b. r. ad Ælium Marcia-
 num Bæticæ Procos. qui diversus est ab
 Ælio Marciano. Ita ex sententia Heineccii
lib. 1. Hist. Jur. cap. 4. §. 345. in not.
 voluit, ut si servus ob domini saevitiam,
 famem, vel obscoenitatem ad ædem sacram
 vel ad statuas Principum confugerit, invito
 domino contra regulam in l. 9. D. de
 act. rer. amot. *bonis conditionibus vendere-
 tur, reddito tamen domino pretio.* Theop-
 hilus heic *bonas conditiones interpretatur*

non

non graves, quales domini in odium servorum venditionibus adjicere solebant, e. g. ut servus compeditus serviret, ne unquam manumitteretur, utve esset in regione gravis & immitis aëris. Demum Constantinus M. sancivit, ut qui servum suum castigando occidisset, poenam legis Corn. de *fiscariis* non subiret: sin tormentis & destinato consilio, ordinaria homicidii poena plecteretur *l. unic. C. de emendat. serv.* Atque ita desierunt domini jus vitae & necis amplius suo arbitrio in servos exercere. Hæc de primo dominicæ potestatis effectu, de altero vero, nempe de acquisitione per servos, agemus infra *lib. II. tit. IX.*

De Patria potestate.

Ad tit. IX. Inst. b. l.

VIdimus superiore titulo, quæ fuerit dominorum in servos potestas & imperium, agamus nunc in *b. t. IX. de patria in liberos potestate*; cuius adquirendæ tres recensentur modi, sc. *instæ nuptiæ*, *legitimatio*, & *adopcio*, de quibus in sequentibus

tibus titulis pertractatur. Patria autem potestas, quamquam a Pomponio in *I. 2. D. de J. & J.* ad *Jus Gentium* referatur, quoniam ab ipsa natura originem trahit propter educandæ prolis officium parentibus inditum, ut utilia societatis membra evadant, quod quidem sine aliquo imperio, quo morum vitia emendentur, fieri omnino nequit: attamen optime ait Justin. in §. 2. b. r. *jus potestatis*, quod in liberos habemus, proprium est Civium Rom. nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem: quod procul dubio verum est ratione imperii, & adquisitionis. Hinc recte cum eodem Pomponio inquit Ulp. in *I. 1. §. 2. D. de R. V.* hanc potestatem proprie descendere ex *Jure Rom. & lege Quirinum*. Romulus quippe legem tulit de pleno patrum in liberos imperio, teste *Halicarnassensi lib. 2. cap. 27.* qua patri toto suæ vitæ tempore omnis data est potestas in filium, sive eum exponere, sive flagris cædere, sive vinculum ablegare ad operas rusticæ, sive vendere, sive necare liquerit. Hinc patres Ulp. in *Fragm. tit. 4. §. 1.* vocat *familiarum suarum principes*. Hinc quoque haæ voces *patria potestas & paterna ma-*

majestas variis in locis occurunt. Hinc demum frequens apud Auctores sit libero- rum & servorum comparatio. Cur autem tanta a Romulo parentibus tributa fuerit in liberos potestas, hæc ratio reddi solet, quod nimirum propter periculosam educa- tionis aleam, maxime agrestibus tunc Rom. moribus, voluit Romulus patri ejusmodi potestatem concedere, ut ipse tamquam magistratus domesticus reip. nomine ob dilecta præcipue in familiam commissa cum suorum necessariorum consilio eam exerce- ret, atque hac ratione bonos educeret ci- ves: confidebat enim Romulus naturali parentum amore eos summo imperio in fi- lios non abusuros fore. Quamquam vero hæc Romuli lex cum rigidis Rom. mori- bus tunc conveniret, usu tamen & con- stitudine recepta fuit, atque a Decemviris in XII. Tabb. relata.

Plane tria singularia jura hæc potestas continebat. Primum nempe parentes jus vitæ & necis in liberos, perinde ac domi- ni habebant in servos. Quare refert ea- dem in loco Halicarnassensis, quam sæpe filii etiam præclare meriti, a patribus ne- eati fuerint, indignante etiam & reluctan- te Populo. Sed postea restrictum sensu

fuit primum temporibus Trajani & Hadriani, relicta patribus modica in filios coercitione: atque usque ab Alexandro Imperatore invaluit, filios gravius delinquentes magistratibus offendendi, quibus tamen ipsi parentes prescribebant sententiam in filios exequendam *I. 13. §. ult. D. de re milit.* Postea a Constantino M. sanctione poenali sublatum est *I. unic. C. de bis qui parent. vel liber.* Denique in magistratum translatum fuit Valentiniani constitutione *I. unic. C. de emend. propinq.* Secundum vero jus erat ter venundandi filium: quod non de facta, sed de vera venditione accipiendum esse, docet Schultingius in *Nor. ad Ulp. Fragm. tit. 10. §. 1.* Sed hoc quoque a Diocletiano sublatum est *I. 1. C. de patrib. qui fil. suos, &c.* Tertium demum jus erat per liberos adquirendi, de quo agemus *lib. II. tit. IX.*

Ceterum haec potestas ex lege Romuli soli patri data est, exclusa in perpetuum matre, etiam eo mortuo. Quid de avo? profecto lex Romuli de patre solum locuta est. Verum Prudentum interpretatione moribus & usu probata receptum fuit, ut non solum pater haberet liberos in potestate, sed & avus & proavus, & qui pa-

ren-

rentum appellatione continentur §. 3. b. t.
aliquo tamen inter patrem ceterosque pa-
rentes servato discrimine, quod notavit
Merillius lib. 2. observ. cap. 4. nam vin-
culum nepotis laxius erat, quam filii, &
diverso jure pater, atque avus utebatur.
Ita patri soli jus occidendi adulterum cum
filia deprehensum, non ayo competebat *l.*
20. C. 21. D. ad L. Jul. de adulst. Pro-
pterea nepotes non trina mancipazione, ut
filii, sed una nexu potestatis avitæ solve-
bantur *l. 8. D. de injust. testam.* Sed hæc
de nepotibus ex filio accipienda sunt: nam
i qui ex filiis in potestate constitutis na-
scuntur, sub avi, non patris potestate con-
tinentur; quia, ut ait Ulp. in *l. 11. D.*
ad L. Jul. de adulst. *in sua potestate habe-*
re non videtur, qui non est sua potestatis.
Nepotes autem ex filia non avi, sed pa-
tris sui familiam sequuntur §. 3. b. t.

*De Nuptiis.**Ad tit. X. Instit. b. l.**§. I.**Quæ sunt iustæ nuptiæ ex sententia J. C.**Ad princ. Instit. b. t.*

Quandoquidem patria potestas præcipue ex justis nuptiis derivatur, non immerito in b. s. X. Justin. de nuptiis differere instituit. Definiuntur autem nuptiæ a Modestino in l. i. D. de R. N. & a Justin. in §. i. tit. de patr. potest. viri & mulieris conjunctio, individuam vi-
tae consuetudinem continens. Hæc postrema verba notant cum Petro Fabro ad l. 48. D. de R. J. perpetuam & irruptam copulam, saltem ex votq contrahentium, vel referri possunt cum Marquardo Frehero lib. i. Verism. cap. ii. ad arctam & assi-
duam conjugum conversationem; nam con-
juges perpetuo in eadem domo morari &
simul vivere debent, participes fortunaram
omni-

omnium . Dicuntur vero ex sententia Juris Romani *justæ nuptiæ* , quæ secundum legum tum naturalium , tum civilium præcepta contrahuntur : matrimonium enim , et si a Jure Naturali primævam deducat originem , a Jure tamen Civili instar contractus certam accepit formam , atque ratione honestatis , servandique in rep. ordinis certos ritus & solemnitates , citra quas qui legibus civilibus subjiciuntur , justas non contrahunt nuptias , aut saltem hujusmodi conjunctio effectus justi matrimonii non consequetur , auctore Pufendorfio lib. 6. de J. N. & G. cap. I. §. 35.

Hinc Jure Romano , ut quis justas dicatur nuptias contrahere , plura requiruntur , primo ut liber & civis Rom. sit , neve cum peregrina vel ancilla contrahat ; alioquin justæ non erunt nuptiæ , nec civiles habebunt effectus , quemadmodum apud Athenienses obtinuisse notat Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 5. §. 13. inter enim jura , quæ civibus Rom. competitabant , præcipuum erat olim *jus connubiorum* , quo soli fruebantur cives . Quare eodem Jure inter servos & ancillas non erat connubium , sed *congubernium* , quod justarum nuptiarum iuribus & effectibus desti-

destitutum erat, quemadmodum neque inter liberos cum servis, vel cum peregrinis. Secundo ad justas nuptias contrahendas tria alia exiguntur capita. Primum est ætas contrahentium, ut sc. sint puberes: in masculis enim pubertas æstimatur XIV. anno expleto; feminæ vero post XII. sunt viripotentes. Secundum caput est, ut contracturi nuptias filii, aut filiæfamilias habeant consensum parentum, quorum in potestate sunt, idque *Q. naturalis Q. civilis ratio suaderet*, monente Justin. in *princ. b. t.* Notandum tamen est, in nepote non solum avi, sed & patris consensum requiri; in nepte vero sufficit, ut avus consentiat *l. 16. §. 1. D. de R. N.* Quæritur, utrum consensu opus sit expresso, an tacito? nihil referre, qualis sit, docet Ger. Noodt. ad *tit. D. de R. N.* sufficit enim, ut expressie parens non contradicat *l. 5. C. b. t.*

Cum autem Justin. in *princ. b. t.* constituerit, ut parentum consensus nuptias præcederet, alioquin fierent irritæ Jure Civili, quæsitum est, quid juris sit, si ex postfacto sequatur; id quod *ratibabitio* appellatur? putat idem Noodt *cir. loc. ante Justin.* ex eo tempore habitas fuisse justas

nu-

nuptias , ex quo patris consensus intervenisset *l. 13. §. 6. D. ad L. Jul. de adul.* Utrum vero id mutarit Justin. quæstionis est ? *oensēq; laudatus Auctor* , ex generali ipsius Justin. constitutione in *l. 25. C. de donat. int. vir. & ux. ratihabitionem generaliter* , sc. sine exceptione retrahi & confirmare ea , quæ ab initio subsecuta sunt; eoque per ratihabitionem nuptias quoque ab initio convalidari . Contra tamen sentit Jac. Gothofredus in *l. 152. §. 2. D. de R. J.* docens , ubi leges nominatim ad initium actus seu negotii sese referunt , & jussum nominatim spectari jubent , ut in nuptiis , tunc ratihabitionem non confirmare ea , quæ vitiōse ab initio facta sunt .

Quid rursus censendum sit , si pater furore laboret ? tunc quidem ejus non attenditur consensus , cum revera consentire non possit . Ceterum videntur hac de re dubitasse Veteres , uti testatur heic Justin. illis verbis , *cumque super filio variabatur* , quamvis hujus dissensionis nullum supersit in Jure vestigium , adnotante Gotfr. M ascovio in *Diar. de Sect. Sabin. & Procul. cap. 9. §. 12.* Verumtamen , quod Imp. Marcus in filio dementis admisit , illud

Ju-

Iustia. in filio furiosi quoque probavit, voluitque servari suæ constitutionis modum in l. 25. **C. de nupt.** ut sc. fiat matrimonium ex sententia Curatoris patris furiosi, propinquorum, & Magistratus, vel Episcopi. Tertium demum caput est, quod ut vere dici possint nuptiæ, debent necessario contrahentes consentire; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit l. 28. **D. de R. N.** Consensus vero ex duobus constare deberet, nempe ex voluntate & intellectu: voluntati quidem adversatur vis & metus; intellectui error & ignorantia. Quid si pater cogat filiumfamilias uxorem ducere? *non cogitur filiusfamilias uxorem ducere*, ait Terentius Clemens in l. 21. **D. eod.** Quid ergo, si uxorem patre cogente duxerit, quam non duceret, si suæ spontis esset? utique matrimonium contraxisse intelligitur: hoc enim maluisse videtur, respondet Celsus in l. 22. **D. eod.** Hoc est, cogi quidem non potest, sed si cogi patiatur, aliquo genere voluisse creditur. Hæc sane ex subtilitate Juris Civilis, quo voluntas coacta voluntas quoque æstimatur. Ad rem ait D. Augustinus in lib. sing. ad Marcellin. de spir. & sit. quamquam si subtilius advertamus, etiam quod quisque in-

*invitus facere cogitur, si facit, voluntate
facit. Aliter tamen ex æquitate Juris Na-
turalis, quæ hac in re potissimum spectan-
da est. Consule Carolum Annib. Fabro-
tum in Exercit. 10.*

§. II.

*De impedimentis nupcialium J. C. constitutis
in linea recta & transversa
cognitionis.*

Ad §. I. usque ad V. Instit. b. s.

PRÆTER haec tenus probata ad justas nu-
ptias requisita, animadverti quoque
oportet, quod non omnes nobis licet du-
cere uxores; a quarumdam enim nuptiis
abstinendum esse, docet Justin. in §. I. b. s.
idque vel propter cognitionem, aut adfi-
nitatem, vel propter publicæ honestatis ra-
tionem, aliamve caussam. Cognatio autem
est vinculum personarum ex eodem stipite
descendentium. Hinc cognati dicti, quod
una communiterive nati, vel ab eodem
orti progenitive sint l. 4. §. I. D. de grad.
Ea autem in Jure triplex est, naturalis
sc. quæ per se sine Jure Civili descendit
per

per feminam , quæ vulgo liberos peperit : civilis sive legitima , quæ sine Jure Naturali per adoptionem consistit : mixta , quæ ex utroque jure constat per justas nuptias d. l. 4. §. 2. Rursus cognationis duæ sunt lineaæ , recta & transversa . Recta alia est superior adscendentium , alia inferior de scendentium . Ex adscendentibus nos nati sumus , descendentes ex nobis . Transversa linea est , in qua sunt collaterales una nobiscum nati ex adscendentibus . Utraque linea suis distinguitur gradibus . Gradus porro fit novus , quoties persona generatur , adeo ut tot sint gradus , quot generationes .

Ex his igitur consequitur , propter con gnationem a quarundam nuptiis nobis abstinendum esse , alioquin si contrahantur , incestæ dicuntur d. §. 1. b. r. Incestus autem est maris & feminæ conjunctio facta aduersus reverentiam sanguini debitam ; qui sane ex sententia veterum Jectorum duplex est , alias Juris Gentium & Civilis simul , alias Juris Civilis tantum . Incestum itaque Juris Gentium Paulus in l. alt. D. de R. N. ait admitti ab eo , qui ex gradu adscendentium vel descendantium uxorem ducit : quæ nuptiæ vocantur heic ab

ab Imp. nefariæ , atque in infinitum prohibitæ sunt l. 53. D. eod. quod perinde valet in adscendentibus & descendantibus cognationis civilis , quæ fit nimirum per adoptionem , etiamsi adoptionis jura per emancipationem solvantur .

Hæc locum obtinent in linea recta . In transversa vero esse similem observationem , sed non tantam , tñit Justin. in §. 2. b. t. nam in linea recta vetantur in infinitum nuptiæ tum Civili tum Naturali Jure ; in transversa autem usque ad quartum gradum . Præterea in recta sive constet , sive solvatur adoptio , semper inter parentes & liberos adoptivos prohibitæ sunt nuptiæ : contra in transversa , et si adoptio dum adhuc constet , impedimento sit nuptiis fratris vel sororis adoptivi ; soluta tamen adoptione , potest inter ipsos justum esse conjugium . Quod autem diximus , adoptionem esse nuptiis impedimentoo , adeo verum est , ut si pater velit generum in filium adoptare , oportet , prius filiam emancipet : id quod vicissim in nuru procedit d. §. 2. b. t. alioquin dirimentur nuptiæ , quæ Jure Civili inter fratrem & sororem adoptivos confiltere nequeunt , quia in eum casum incident , a

quo incipere non possunt , uti placet Hotomano , & Vinnio : vel adoptio nulla esset , quod æquius est , & magis probat Bacovius . Vide Cujacium lib. 25. observ. cap. 3.

Agitur in §: 4. b. 1. de nuptiis patruellum & consobrinorum , qui in quarto sunt ex Jure Civili cognitionis gradu , & ait Just. duorum autem fratrum vel sororum liberi , vel fratri & sororis jungi possunt . Extat hac de re erudita & elegans Dissertatio Everardi Ottōnis , qui probare nititur , apud Rom. de his nuptiis non idem semper ius servatum esse : quoniam olim tempore Regum tale conjugium permisum fuit , auctore Dion. Halicarnassensi lib. 4. Postea exactis Regibus , ab hoc jure moribus & consuetudine discessum est. Rursus quodam Plebiscito haec nuptiarum permisæ fuerunt in Urbe usque ad Theodosium M. qui A. Chr. 384. prohibuit inter has personas conjugium celebrari sub pena ignis , & proscriptionis . Extincto vero Theodosio , ejus filii Arcadius & Honorius primum circa A. Chr. 386. tum in Oriente tum in Occidente patris constitutionem probatuerunt , sed peñam mitigarunt , priorem tollentes ; postea A. Chr. 405. abrogarunt , ut evincitur

citur ex constitutione , quæ a Triboniano interpolata fuit , atque relata in l. 19. C. b. 2. Quare patet nunc , quæ sit Justin. sententia in d. §. 4 b. 2. circa patruelium & consobrinorum nuptias. Nonnulli tamen , veluti Ant. Faber , Contius , & Sirmon-
dus in hoc textu negativam particulam reponunt . Sed falsos hæc res eos habet ,
ceu probat laudatus Otto ; quoniam affir-
mativam lectionem adgnoscunt vulgatæ edi-
tiones , eamque defendit Jac. Gothofredus
in sing. Differ. ad L. Honor. & Arcad.

A linea transversa æquali ad inæqualem fit transitus in §. 3. & 5. b. 2. in qua prohibentur Jure Civili nuptiæ etiam in infinitum inter eos , qui sunt loco paren-
tum aut liberorum etiam per adoptionem l. 17. §. 2. l. 53. *D. de R. N.* Olim ta-
men Sæto Claudiano in gratiam Claudii Imp. condito , qui Agrippinam Germanici fratri filiam sibi matrimonio junxit , licitum fuit in Urbe & in Italia tantum , non in provinciis , ut conjicit Noodt. *lib. 2. obseru.
cap. 5.* patruo filiam fratris , non autem sororis uxorem ducere , teste Ulp. in *Fra-
gment. rit. 5. §. 6.* Sed hoc Sætum subla-
tum fuisse ajunt nonnulli a Diocletiano in l. 17. C. b. 2. Cujacio tamen *lib. 8.*

obseru. cap. 28. verisimilius videtur a Constantino , & rursus a Zenone , non ab Anastasio l. ult. C. de incest. nupt. ut observare licet apud Schultingum ad Caj. *Instit. lib. I. tit. 4. §. 3.* Addit vero Justin. in d. §. 3. b. t. quod non prohiberis , uxorem ducere filiam mulieris , quam pater tuus adoptavit ; quia haec tibi neque Naturali Jure jungitur , quia cognata non est , neque Civili per adoptionem ; nam tu illi hoc jure adoptionis avunculus fieri nequis l. 12. §. 4. D. de R. N.

§. III.

De aliis nuptiarum impedimentis tum ratione adfinitatis , tum publicæ honestatis , aliisque causis.

Ad §. VI. usque ad XI. Instit. b. t.

Non solum in nuptiis contrahendis gradus cognitionis , sed & adfinitatis spestandi sunt . Est autem adfinitas *necessitudo quædam inter unum conjugem & alterius conjugis cognatos* . Quare adfines sunt , auctore Modestino in l. 4. §. 1. D. de grad. viri & uxoris cognati dicti ab eo , quod due

duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognitionis finem accedit: fines vero utriusque cognitionis sunt vir & uxor. Inter adfines nulli sunt gradus proprii d.l. 4. §. 5. sed ita statui possunt, ut quo gradu quis est marito cognatus, eo gradu uxori sit adfinis. Plane in linea recta nuptiæ inter adfines prohibitæ sunt pari ratione, ac in linea recta cognitionis, sc. in infinitum l. 40. D. de R. N. tam Naturali, quam Civili Jure, ut diserte ait Papin. in l. ult. §. 2. D. de condic. fin. caus. Quapropter inter vitricum & privignum, novercam & privignum, sacerum & nurum, socrum & generum justæ nuptiæ esse non possunt, quia sunt invicem parentum & liberorum loco §. 6. b. t. & l. 4. §. 7. D. de grad. quod non solum intellectus sublata adfinitate, quam tolli Jure Civili certum est solutis nuptiis, propter generationem quamdam & honestatem; sed etiam ea manente, stantibus nuptiis, alia quippe ratione, quoniam prohibetur quis eodem tempore duas habere uxores, vel cum illa copulari, quæ jam suum virum habet §. 6. & 7. b. t. In linea vero transversa olim apud Rom. soluta per mortem conjugis

adfinitate nuptiæ prohibitæ haud fuerunt inter levirum e. g. id est, viri fratrem & ejusdem fratri uxorem, atque inter glorrem uxoris fororem & ejusdem sororis vi-
rum, eorumque liberos. Sed eas postea prohibuit primus Constantius *l. 2. C. Th. de incest. nupt.* & severius Theodosius & Zeno *l. 5. C. 8. C. eod.* Quod demum ait Justia. in §. 8. b. t. de duorum compri-
vignorum nuptiis, quæ neque Naturall ne-
que Civili Jure, imo neque Canonico
cap. 5. X. de consanguin. prohibitæ sunt,
verum est, nec ulla indiget explicatione.

Ceterum in nuptiis contrahendis non so-
lum spectari oportet Jus Naturale & Gen-
tium, quo cogimur a quarumdam perso-
narum nuptiis abstinere propter reveren-
tiā sanguini debitam, sed etiam Jus Ci-
vile: etenim *semper in conjunctionibus non*
solum quid licet, considerandum est, sed
O quid honestum sit, monet Modestinus in
l. 197. D. de R. J. Hinc Jure Civili aliud
impedimentum constitutum est, quod vo-
catur publicæ honestatis: cuius rei exem-
plum profert Imp. in §. 9. b. a. ubi ex
sententia Juliani in *l. 12. §. 2. D. de R.*
N. docet, quod tibi non licet uxorem du-
cere filiam uxoris tuæ, quæ post divor-
tium

tium ex alio procreavit; idque non ratione cognationis, cum tu illam non genueris, neque adfinitatis, cum tibi non sit privigna: *privignus enim, auctore Festo, dicitur, qui prius genitus sit, quam uxor secunda nubere*: certe publicæ honestatis ratione, qua etiam constitutum esse refert Ulp. in *d. l. 12. §. 1. & 2.* ut justæ nuptiæ consistere nequeant inter te & sponsam filii tui, vel patris, quamvis utræque adhuc tibi adfines non sint.

Agitur in *§. 10. b. t.* de servili cognatione, quæ etiam nuptiis impedimento est: nam ecce si in servili statu ex me filia progenita sit, & dehinc cum ea manus missus fuerit, non possum filiam, etsi in contubernio natam, uxorem ducere; nam servilis cognatio, quamquam antiquo Jure in successionibus non spectaretur; in nuptiis tamen contrahendis plurimum attendebatur, quia in illis pudor naturalis inspiciatur, nec jura sanguinis naturalia ullo Juro Civili dirimi possunt *l. 8. D. de R. J.* Præter impedimenta cognationis, adfinitatis, & publicæ honestatis hactenus explicata, quamplurima alia recensentur, quæ ex *tit. D. de R. N.* ad quem nos remittit Imp. in *§. 11. b. t. & ex tit. C. de*

nupt. colligi possunt. Ita ex L. Julia & Papia Senatoribus, eorumque liberis interdictum erat conjugium cum libertina, aut quæ ipsa, ejusve pater, materve artem ludicram fecerit *l. 44.* *D. de R. N.* Eadem lege fuit & alia caussa impediendi matrimonii, nempe ætas maris sexagenarii, & feminæ quinquagenariæ, præsumente lege, post hanc ætatem in utroque sexu deficere matrimonii finem, sc. liberorum procreationem. Sed hoc caput, imo totam legem à Justin. abrogatam fuisse constat ex *l. 17.* *C. de nupt.* Præterea nequit Præses, aliisve magistratus, etiam militaris *propter metum potentatus*, ut dicitur in *l. 63.* *D. eod.* durante in Provincia administratione, mulierem inde oriundam, vel ibidem domicilium habentem ducere uxorem: imo neque eorum liberi, ac propinqui *l. unic.* *C. si Rect. prov.* Item ex Oratione DD. Marci & Commodi in *l. 66.* *D. eod.* ob fraudis metusve caussam prohibentur tutores, curatores, eorumve liberi nuptias contrahere cum pupillis vel adultis „ quarum tutelam vel curam gesserint *l. 64.* & *67.* *D. eod.*

§. IV.

De poenis adversus veritas nuptias contrabentes.

Ad §. XII. Inst. b. t.

Minatur in §. 12. b. t. Justin. poenas adversus eos , qui coēunt contra præcepta legum . Ex L. autem Julia & Papia , cuius sanctionem huc refert Imp. irritæ hujusmodi nuptiæ habentur : quare ait , *nec vir , nec uxor , nec nuptiæ , nec matrimonium , nec dos intelligitur* ; adeoque talis conjunctio civiles effectus justi matrimonii non habebit . Hinc filii neque sub patris potestate , neque legitimi sunt , sed eadem conditione censentur , qua *nothi & spurii* : cuius nominis etymon anceps adhuc est apud Criticos : qua de re consule Menagium *Amaenit. Jur. Civ. cap. 39*. Quid tamen de vitæ consuetudine dicendum , spectato duntaxat Jure Civili ? separanda quidem erat , si turpis esset , ut in incestu observat Papinianus in l. 38. §. 4. *D. ad L. Jul. de adulst. his verbis : sed distracti conjunctionem illicitam iusserunt* . Aliquando tamen vitæ societas durabat , licet nullo jure :

jure, nam etsi matrimonium adversus leges Civiles initum, nullum esset; id tamen accipiendum, quoad jura conjugum legitimorum, nihilominus manebat matrimonium, quamvis injustum, ut patet ex *l. unic. D. und. vir & ux. atque ex Calistrati responso in l. 37. §. ult. D. ad municip.* Præter istas alias quoque poenas fancivit *Justin.* adversus injustas nefariasque nuptias contrahentes in *Novel. 12. cap. i.* cuius hæc sunt verba: *injustas nuptias contrabentis pœna est confiscatio bonorum tam rectorum, quam dotis; exilium etiam, & cinguli privatio, si quo potitur; verberatio quoque si vilis est: femina quoque taliter scienter peccans, simili pœna subjungenda.*

§. V.

*De legitimatione ejusque modis.**Ad §. ult. Inflit. b.s.*

PAtriam in liberos potestatem non solum adquiri justis nuptiis, sed etiam legitimatione, docet *Justin.* in §. ult. b.s. *Est autem legitimatio ex Marciani fententia*

tia in l. 57. §. 1. D. de R. N. actus, que liberi naturales sunt legitimi, vel quo confirmatur status liberorum, qui non erant legitimi, perinde ac si legitime nati essent, modo hi volectes legitimantur: nam invitatos legitimari negat Justin. Novell. 89. cap. 11. Naturales vero liberi heic accipiuntur solum filii ex concubina nati, cuius matrimonium non est legibus interdictum l. 10. C. 11. C. de natural. liber. nam spuri, adulterini, & incestuosi etiam naturales discuntur, sed ab hoc legitimationis beneficio tamquam indigni repelluntur Novel. 89. cap. 15. Porro legitimationis modi Justiniano in d. §. ult. b. r. duo sunt, unus fit per subsequens matrimonium, alter per oblationem Curiae: idem tamen Imp. additum tertium, nempe per rescriptum Principis. Novcl. 74. cap. 2. Novel. 89. cap. 9. Primus legitimandi modus inventus est a Constantino M. teste Zénone in l. 5. C. de natural. liber. ut hac ratione a rep. Christiana concubinatum expelleret, eum in matrimonium inflectendo; deinde magis confirmatus, ampliatusque a Justin. in l. 10. C. 11. C. eod. & in cit. Novel. Hinc est, quod idem Justin. ait in prefat. d. Novel. 89. a Constantini temporibus natu-

naturalium liberorum nomen libris Constitutionum inscribi cœpisse, non quod nudum eorum nomen antea incognitum fuerit, sed quia nulla olim apud Juris Auctores de iis habita fuerit ratio, quam primus habendam credidit Constantinus. Plane fit hæc legitimatio, cum pater naturalis concubinam, cuius matrimonium non est legibus interdictum, ducit uxorem, intervenientibus tamen dotalibus, seu nuptialibus instrumentis ad matrimonii probationem, rejecto omni alio probationum genere, ceu ex disciplina illorum temporum sapienter cavit Justin. in d. Novel. 74. cap. 4.

Alter modus legitimandi fit *per oblationem Curiae* a Theodosio introductus l. 3. C. de natural. liber. Est autem Curia Ordo Decurionum, qui in Municipiis Coloniisque Senatum Municipalem constituebant, ideo dicti Senatores Municipales. Ex his magistratus municipales creabantur; nec vero aliis, quam qui ex Ordine Decurionum essent, honores, munia, & administratio Municipiorum mandabantur l. 7. & penult. D. de decur. At quamquam iste Decurionum Ordo amplissimus esset, Romanis Equitibus tamen inferior, ejusque dignitas ab aliis pretioempta, aliis in præmium data, aliis in-

pœ-

poenam adempta , multisque etiam petentibus denegata fuisset , eo quia multis ornata erat prærogativis , quas collegit Brissonius lib. 4. *Antiq. cap. 13.* veluti quod nec ipsi , nec parentes , nec liberi fustibus , quæstionibusque subjici poterant , nec ad metalla damnari , vel furcæ figi , vel in insulam deportari , inconsulto Principe . Attamen erant Decuriones multis Curiæ muneribus obnoxii : Curiæ enim iis perpetuo serviendum erat periculo suarum fortunarum *l. 50. 60. C. de decur. lib. 10.* Non poterant alienare , vel repudiare paternam hereditatem *l. 4. C. de natural. liber.* nec militiæ adscribi *l. 17. C. de decur.* non res suas sine decreto vendere , nec aliud vitæ genus eligere , vel ad alios honores adspirare : imo in civitate , non in rure iis degendum *l. unic. C. si Curialis C. lib. 10.* Erant igitur tot nexibus obstricti Curiales , ut mirum videri non debeat , si olim Curiat , quoad possit , quisque defugeret , adeo ut poenæ loco Christiani ab impiis Principibus Curjis manciparentur inviti , ceu erudite probat Ever. Otto in *Tract. de Ædilib. Colon. cap. 7. §. 10.*

Quapropter cum Curiæ in Municipiis ,
Colo-

Coloniisque hisce de caussis desererentur, maxime tempore Théodosii & Valentiani, ut nemo esset, qui Curiæ munia subtinere vellet, idcirco isti Impp. legitimationem per oblationem Curiæ introduxerunt, partim ut Ordo Decurionum augeretur, partim ut hoc modo divites invitarentur ad filios suos naturales cum parte facultatum suarum Curiæ mancipandos: siquidem Curiales certam bonorum summam possidere debebant, quia certus erat Decurionum census, teste Plinio *lib. I. Epist. 19.* Hinc naturalis pater tali filio legitimando tantam bonorum suorum portionem concedere debebat, quanta ad censem Decurionum secundum legem municipalem requirebatur. Fiebat itaque hæc legitimatio, ubi pater naturalis filios suos naturales, vel ipsi Curiæ se se offerrent, vel filiam naturalem idem pater daret nuptui Decurioni, aut sub conditione, *si Decurio evaderet l. 3. C. de natural. liber.* ita ut cum fierent Decuriones, & una cum suis facultatibus nexibus Curiæ obnoxii, legitimi patri evaderent & sui heredes. Ita censet Theophilus hoc in loco, sed reprehenditur a Merillio *lib. 8. observ. cap. 26.* qui negat, statim fieri Decuriones, sed tantum curia-

curiali conditioni subjici , ut procedente tempore , cum Ordinis numerus replendus esset , adsumerentur . Sed hæc Merillii censura merito ab aliis rejicitur , probantibus statim fieri Decuriones , et si legitimæ nondum essent ætatis , neque ad temp. capessendam idonei . Vido eundem Ottонem in cit. tract. cap. 5. §. 5.

Denique tertius legitimandi modus est per rescriptum Principis , quem in subsidium invenit Justin. Novel. 74. §. 89. licet ante Justin. occurrat exemplum hujusmodi legitimationis apud Marcianum in l. 57. §. 1. D. de R. N. ubi refert Ictus , Marcum & Lucium Imp̄. precibus a Flavia Tertulla oblatis , justis de caussis confirmasse statum liberorum , quos Flavia gentuerat ex avunculo suo , quocum ignorans incestas contraxerat nuptias : attamen hoc personale magis fuit illorum Principum beneficium , quam commune remedium , quod a Justin. primum introductum est in omnibus iis casib⁹ , quibus pater naturalis non habet legitimos liberos , & mulier , quacum consuevit , est defuncta , vel cum ea aliqua de causa matrimonium impeditur ; tunc permittitur patri naturali Principem rogare per libellum , ut naturalem filium

filium faciat legitimum : cui si Princeps indulserit , filius dicetur *legitimatus per rescriptum Principis*. Idem obtinet , si pater testamento permiserit , id a filio peti , eumdem heredem instituens *d. Novel. 74. cap. 2.* & *10.* tunc enim filio , ut hereditatem adipiscatur , jus est petendi legitimationem , dum libello adnectat patris testamentum . Hæc de legitimationis modis , remanet , ut de effectu breviter dicam : & sane non est idem omnium ; nam si per oblationem Curiæ contingat , legitimatus quidem habetur pro legitimo patri tantum , non aliis *l. 9. C. eod. d. Novel. 74.* & *89.* Si fiat vero per subsequens matrimonium , intervenientibus tamen dotibus instrumentis , ut diserte cavit in *d. §. ult. b. t. Justin.* non solum patri fit legitimus , & quidem invitus vi & potestate subsequentis matrimonii , sed omnibus consanguineis , perinde ac si legitime fuisset natus *Novel. 12. cap. 4.* Idem intelligendum moneo de legitimato per rescriptum Principis ex illis verbis *Novel. 89. cap. 8.* cum semel eos legitimos fecerimus , concessimus etiam , ut illas successiones habeant , quas ii habent , qui ab initio legitimi sunt.

De

De Adoptionibus.

Ad tit. XI. Instit. b. l.

§ I.

De adoptionis nomine, & definitione.

Ad princ. Instit. b. t.

Tertius acquirendæ patriæ potestatis modus est *adoptio*, de qua in *b. tit. XI.* agit Imperator. *Adoptare* autem idem est, ac *adlegere*, sive *eligere*: hinc *optio* idem sonat, ac *electio*: sic in Jure *optio legati* est *electio legati*. Porro *adoptio* est naturæ *imago*, vel ut Cajus *lib. 1. Instit. tit. 7.* exprimit, *naturæ similitudo*, quia *naturæ defectum supplet*, & in solatium orbitatis ad emolliendum *aut naturæ uitium*, *aut infelicitatem fortuna*, auctore Theophilo in *princ. b. t.* reperta est. Cur vero *commentum* a Papiniano in *l. 76. D. de C. & D.* & ab ipso Justin. *ludibrium* appelletur in *l. 10. C. b. t.* non una est Virorum doctorum sententia. Ve-

Tom. I. lib. I.

L rius

rius tamen puto , Papinianum , quem se-
cutus est Justin. ad veterem ritum respe-
xisse , quo mulieres in adoptionibus partu-
tionem simulabant : nam siquæ improles
essent , earum mariti eodem in lecto ge-
niali , quo liberos naturales tollere sperave-
rant , per adumbratam imaginem & partus
similitudinem civiles sibi liberos nuncupa-
bant . Sic Diodorus Siculus *lib. 4. cap. 3.*
loquens de Hercule a Jove adoptato ait :
Jovem persuasisse Junoni , ut Herculem se
fingeret genuisse partum hujusmodi
*fuisse tradunt : Juno cum lectum adscendis-
set , juxta corpus Herculem per vestes infe-
rius dimisit , verum partum imitata . Ludi-*
crum hunc adoptandi ritum etiam apud
Judæos fuisse probat Ever. Otto in Papin.
cap. 7. §. 5. & confirmat in Jurispr. Symb.
exerc. 3. cap. 4. Definit autem adoptionem
Gellius *lib. 5. N. A. cap. 19.* *actum so-*
lemnem , quo in alienam familiam , inque
liberorum locum extranei adsumuntur : extra-
neum vocat omnem , qui non sit in fami-
lia & potestate adoptantis . Hinc in t. 4.
D. b. t. & alibi passim adoptio vocatur
legis actio : nam certis formulis & solemni-
bus peragenda erat , & apud Rom. frequen-
tissima pluribus de cauſis , quas erudite

ex-

exponit Heineccius lib. I. *Antiq. tit. II.*

§. II.

De adoptionis divisione in adrogationem & adoptionem in specie, ejusque effectu.

Ad §. I. & reliquos Instit. b. t.

DIviditur a Justin. in §. I. b. t. adoptione in duo genera, nempe in *adrogationem*, & *adoptionem* sic proprie dictam. Adrogatio species fuit adoptionis Civium Rom. propria, eaque non L. XII. Tabb. neque Edicto Prætoris, sed eo jure, quod auctoritate Prudentum, tacitoque Pop. consensu receptum est, introducta dicitur ab ipso Justin. in princ. tit. de *adquis. per adrogas.* Tempore liberæ reip. fiebat apud Pop. in Comitiis Curiatis, non sine tamen causæ cognitione, & Pontificum, qui interesse debebant, adprobatione, ut videre est apud eundem Heineccium *cit. loc.* Proprium vero erat adrogationis, ut eos adrogari liceret, qui sui juris, qui cives, quique Comitiorum participes essent. Hinc excludebantur feminæ, muti, surdi, pupilli, & peregrini, quia omnes hi vel non erant Comitiorum participes, vel sibi ipsis auctores esse non po-

terant: nec enim per alios auctoritas interponi permittebatur. Item non licebat feminis adrogare, quia filium in sua potestate habere non poterant; nec cælibibus: nam adrogatio erat in solatium orborum parentum *l. 15. §. 2. D. b. t.* Hinc olim, qui filios naturales haberent, extraneum adrogare non permittebatur sine justa caufsa *d. l. 15. §. 2.* Denique non concedebatur, nisi senibus sexagenariis, cum prolem desperabant. Fiebat autem adrogatio in Comitiis Curiatis, tribus solemniter rogatis, id est, interrogatis, patre adrogante, filio adrogando, & Populo deinceps adrogationem ratam habente: hi enim omnes auctores fieri debebant. Hinc dicta est *adrogatio a rogatione*, quæ solemniibus verbis more Quiritium facienda erat. Peracta jam adrogatione ille, qui jam sui juris erat, una cum capite fortunisque suis in potestatem patris adrogantis transibat, atque in ejus sacra & familiam: quare Patricii in Plebejam, si patriciatum modo prius ejurassent: Plebeii contra in Patriciam familiam demigrabant.

Hæc de adrogatione tempore reip. quæ usque ad Galbam Imp. perduravit. Postea Principes adrogare permiserunt, non per
Pop.

Pop. Comitia jam sublata , sed per rescri-
ptum Principis , ut primus ipse Galba fe-
cit , ceu conjicit Schultingius ad Ulp. Fra-
gmen. tit. 8. §. 2. Quapropter cum jam tem-
pore Antonini Pii veteres adrogationis so-
lemnitates exolevissent , cœptum est per
Principes etiam adrogari feminas l. 21. D.
b. r. nec non pupillos , sed non sine cau-
ſæ cognitione & requisitis quamplurimis
§. 3. b. r. Primo inquirebatur in adroga-
tionis cauſam , ne qua turpis esset l. 17.
in princ. D. b. r. vel ut explicat Theophilus in d. §. 3. b. r. an non ob turpem a-
morem ; minusve pupillo expediens ; nam
forte adrogator inops est , aut interdum sum-
ptuosus , ♂ pupillus admodum dives , ait
ipse Theophilus ibidem . Secundo expen-
debantur' pupilli & adrogatoris facultates ,
ejusque simul vita examinabatur d. l. 17.
§. 2. Tertio exigebatur cautio , bona pupilli
salva fore proximis adgnatis cognatiſve , si
pupillus intra pubertatis annos decessisset
l. 18. 19. ♂ 20. D. eod. quæ sane cau-
tio præstanta erat , datis fidejussoribus ,
præſente tabellione & testibus . Quarto
non poterat pater adrogans illum sine ju-
ſæ cauſæ cognitione enfancipare , alioquin
cavere debebat ſe restituturum , non fo-

lum bona omnia pupilli, sed etiam quartam partem suorum bonorum ei relicturum: idque etiam in exheredatione erat observandum *I. 8. §. 15. D. de inoffic. testam.* Hæc dicitur *quarta adrogati*, vel *quarta D. Pii*, nam a D. Pio introducta fuit. Sin pupillus causa cognita dignus emancipatione aut exheredatione judicatus fuerit, eo casu ejus bona una cum incremento, id est, fructibus tantum redditum *d. §. 3. b. t.*

Hactenus de adrogatione, nunc ad adoptionem sic proprie dictam transeamus, quæ actio legis erat, ideoque dicitur in *§. 1. b. t. & in I. 2. D. b. t.* fieri *imperio Magistratus*, nimirum Prætoris in Urbe, vel Præsidis in Provinciis, apud quem solemnni Juris ordine expedienda erat: locum tamen sibi vindicabat, cum pater naturalis filios in sua potestate constitutos alteri ip adoptionem daret. Fiebat olim per solemnem mancipationem, nempe per æs & libram, præsentibus quinque testibus Civibus Rom. & libripende, cum sc. pater naturalis, simulata tria illa venditione filium suum emancipabat, atque pater adoptivus illum ita mancipatum Jure Quiritium in suam redigebat potestatem, inque

inque suam familiam recipiebat , perinde ac si ex justis nuptiis suscepisset : atque hoc pacto filius ex patris naturalis potestate & familia exibat , ita ut ejus respectu haberetur extraneus *l. 3. §. 1. D. de cap. minut.* neque patris naturalis hereditatem , ejusve adgnatorum sperare posset.

Hoc igitur ritu olim adoptio coram magistratu legis actionem habente peragenda erat . At Justin. in *l. ult. C. b. t.* omnem abrogat veterem solemnitatem ; vult enim ut ibidem ipse fatetur , licere parenti , qui liberos in potestate constitutos alteri in adoptionem dare desiderat sine vetere observatione emancipationum & manumissionum hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem Judicem manifestare ; praesente eo , qui adoptatur , & non contradicente , nec non eo , qui cum adoptat . Imo ipse Imp. non solum solemnitatem veterem substulit , sed totum etiam Jus antiquum subvertit circa adoptionis effectus : nam voluit , ut filius ab extraneo adoptatus , in patris naturalis familia potestateque maneret , nec in adoptivi potestatem familiamque transferret , sed tantum jus ei succedendi ab intestato haberet . At si non extraneus , sed avus , proavusque maternus , vel paternus

L 4 ex

ex filio jam emancipato nepotem , vel si ipse pater naturalis jam emancipatus , filium in potestate avi constitutum sibi velint adoptare , tunc remanere voluit firmum vetus adoptionis jus §. 2. b. t. l. penult. C. b. t. quæ est una ex quinquaginta decisionibus Justin. qua de re vide Merillium in *Comm. ad d. l. penult.*

Diximus , adoptionem naturam imitari ; quapropter hac in re naturæ ordinem & modum servari necesse est . Optime igitur ait Justin. in §. 4. b. t. minorem non posse natu majorem adoptare , caussatus : *C pro monstro est, ut major sit filius, quam pater.* Debet itaque *is* , qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit , plena pubertate , id est , decem *C octo annis præcedere.* Eadem ratione non possum in fratre , aut in patruum adoptare , quia natura non possum fratrem , aut patruum generare l. 7. C. de hered. insit. At in locum filii , vel nepotis adoptare licet , quia filium generare , nepotem ex filio a nobis procreato habere possumus ; imo etsi filius nobis non extet , adhuc aliquem in locum nepotis adoptare licet : & quamvis Contius lib. I. lect. Jur. cap. 6. id recenset inter inopinata Juris , quia pro monstro foret , ut

ut is nepotem habeat , cui non sit filius ; in hoc tamen casu lex fingit , habere , vel sufficit habere posse §. 3. C. 6. b. 1. Ceterum si quis loco nepotis aliquem adoptet , tamquam ex certo filio , puta Lucio vel naturali vel adoptivo , oportet , ait Justin. in §. 7. b. 1. ut eo casu filius Luccius consentiat , ne alioquin ei invito suus heres adgnascatur : quo non est opus , si eum adoptet ex incerto filio natum , quia sic nulli tamquam suus adgnascitur l. 44. D. b. 1. Idem obtinet , si nepotem ex filio alteri in adoptionem dederit d. §. 7. b. 1.

Ex his hactenus dictis clare constat sententia Justin. in §. 8. b. 1. quod nempe filii adoptati vel adrogati in plurimis causis adsimilantur iis , qui ex legitimo matrimonio nati sunt ; nam sicuti filii legiti- mi & naturales præteriti rumpunt patris testamentum , ita etiam adoptivi : & quemadmodum filii naturales possunt & emancipari , aliisque dari in adoptionem , idem quoque in adoptivis statutum est , dum non sint ab extraneo adoptati ex re-lata constitutione Justin. in l. penult. C. b. 1. Addit tamen Imp. id verum esse in plurimis causis , non in omnibus : siquidem in aliis adoptivi a naturalibus differunt : ita

ita enim adoptivi jus sanguinis per adoptionem non adquirunt. Sic Paulus in l. 23. D. b. t. inquit, *qui in adoptionem datur, bis quibus adgnascitur*. & cognatus fit: *quibus vero non adgnascitur, nec cognatus fit: adoptio enim non jus sanguinis, sed jus adgnationis ad fert: adoptivi sc. sunt tantum cognati omnibus iis, qui sunt in familia adoptantis, non autem iis, qui sunt extra, licet patri adoptivo sint sanguine conjuncti.* Idcirco subdit idem Paulus in d. l. 23. *si filium adoptaverim, unor mea illi matris loco non est Item nec mater mea avia loco illi est.* Rursus filii adoptivi patri non prosunt ad jus trium liberorum princ. tit. *Inst. de excusat. rus.* Item si fideicommissum relictum sit hac conditione, *si quis ex bis sine liberis diem suum obierit*, ait Papin. in l. 76. *D. de C. & D. adoptionis commento non excluditur.*

Præterea docet Justin. §. 9. b. t. non omnibus adoptare volentibus id licere, & recte: nam adoptio naturam imitatur: quare qui generare nequeunt, ab hoc jure excluduntur, veluti spadones & castrati. Verum spadones a castratis discriminantur: nam hi nequeunt in perpetuum generare,

eo-

eoque adoptare non possunt: illi tamen possunt, sed propter morbum ad tempus frigent, quare spadonibus adoptare non interdicitur *l. 6. D. de lib. C. post.* quemadmodum nec illis uxore carentibus, teste Paulo *lib. 1. regular. in l. 30. D. b. 1.* sufficit enim uxorem ducere posse. Feminæ quoque adoptare non possunt, quia nec filios naturales in sua potestate habent. Sed ex indulgentia Principis in solarium filiorum amissorum adoptare possunt, uti monet Justin. in §. 10. *b. 1.*

Dicitur in §. 11. *b. 1.* proprium adrogationis esse, ut adrogatus non solum ipse in potestatem familiamque adrogatoris transfreat, sed ejus quoque liberi, ut sint loco nepotum: quod comprobatur exemplo adoptionis Tiberii, qui cum adoptasset prius Germanicum ex Druso fratre natum, ipse vero postea ab Augusto adoptatus, ambo in potestatem Augusti transferunt, unus loco filii, alter nepotis. Demum ex sententia Catonis Jeti filii, uti perhibetur, M. Catonis Censorii, refert Justin. in §. ult. *b. 1.* servos olim a domino adoptatos, quamquam neque cives, neque filii evaderent, a servitute tamen liberari; quia actus hic non valet ut adoptio, sed tan-

tantum ut manumissio, eoque ex sententia Sabini Latinos Junianos fieri. Hujusce rei exemplo monitus Justin. sancivit in *l. unic.* §. 10. *C. de Latin. libert. toll.* ut si dominus apud acta, vel coram Magistratu servum *filium suum* nominaverit, is licet non filius, evadat tamen liber: quod favore libertatis introductum est.

Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur.

Ad tit. XII. Instit. b. l.

HAe tenus de modis, quibus constituitur patria potestas, nunc quibus disolvitur, agit Justin. in *b. tit. XII.* nam licet ex instituto Romuli perpetua esset, nec unquam cessaret vivo patre; ejus tamen nexus quibusdam modis a Jure statutis solvebatur. Primo morte naturali, quia mors omnia personalia jura adimit, ita ut mortuo patre, filii filiæque sui juris efficiantur: sed non ita mortuo avo indistincte nepotes fiunt sui juris: nam si pater sit superstes, & tempore mortis avi in

in ejus sit familia , nepotes. procul dubio in potestatem patris reincidunt . Sin pater tempore mortis avi jam ex ejus potestate exierit , vel deceperit , tunc nepotes fructus sui juris . Secundo mors quoque civilis , quia adimitt quoque jura personalia & Civitatis , patriam etiam potestatem tollit , quæ Juris Quiritum est . Appellatur mors civilis maxima & media capitis diminutio , qua status personæ mutatur ; nam ex libero fit servus , & ex cive peregrinus , eoque prò mortuo habetur *l. 63. §. ult. D. pro soc.* Quare ad bestias vel metalla damnata , uti servi poenæ , vel in insulam deportati tamquam jam peregrini desinunt liberos in potestate habere *§. 1. C. 3. b. r.* Subdit tamen Imp. in *d. §. 1.* quod si in insulam deportati ex indulgentia Principis restituti fuerint , per omnia pristinum statum recipiunt : intellige , si plenissimam restitutionem consecuti sint ; quod accipitur , si Princeps saltem restituendi verbo usus sit *l. ult. C. de sent. pass.* nam si generalem indulgentiam impetraverint , vel solum redditum , nulla patriæ potestatis facta mentione , liberos in suam potestatem jam antea peremptam revocare non poterant *l. 6. C. 9. C. cod.* Quid si parentes vel

vel liberi in insulam relegati fuerint? placuit patriam potestatem non cessare, quia relegatio nullam continet capitis diminutionem §. 2. b. t.

Tertio dignitas liberos a patre jure liberat: sed haec distinctius explanari merent. Antiquitus nulla dignitas etiam maxima in rep. veluti Consulatus, Praetura, Dictatura, filios a patria potestate eximebat, teste Halicarnassensi *lib. 2. Antiq. cap. 27.* Solum Flamines Diales inauguati, atque Virgines Vestales a Pontificibus captæ statim siebant sui juris, auctore Ulp. in *Fragm. tit. 10. §. 5.* Hoc tamen immutavit postea Justin. qui primus Patriciis indulxit, ut statim ac Patriciatus dignitatem Imperialibus Codicillis obtinuerint, illico a patria potestate liberarentur §. 4. b. t. l. ult. C. de *Consul. lib. 12.* Patricii vero heic indigitantur summi Imperatoris Administri, sive Consiliarii, quasi essent Imperatoris Patres, ita primum a Constantino appellati. Jure vero novissimo ex *Novell. 81. cap. t.* omnis dignitas, omnique cingulum, quod filium liberat a Curia, ejusque nexibus, a patria quoque potestate eximit: quæ sane dignitates definiuntur ab ipso Justin. in *l. ult. C. de*

De-

Decur. lib. 10. sunt nempe Consules, Consulares Viri, Praefecti Praetorio & Urbi, Militum Magistri, & Fisci Patroni. His omnibus addidit idem Imp. in *d. Novel.* 81, cap. 3. Episcopos, exemplo forsan Flaminiū Dialium: hos enim voluit statim ab ordinatione sui juris fieri. Est tamen animadversione dignum, hos omnes summis dignitatibus ornatos exire e patris naturalis potestate, sed sine capitī diminutione; retinent enim jura suorum heredum & agnitionis in familia patris *d. Novel.* 81, cap. 2. quemadmodum & is, qui morte parentis sui juris fit, capite non minuitur *l. 3. §. ult. D. ad Sctum Maced.* quod etiam obtinebat in Flamine Diali *l. 2. D.* quod cum eo &c.

Quarto captivitate patris aut filii etiam cessabat patria potestas seu manus dicere cum Justin. in §. 5. b. 1. & Ulp. in *Fragm. sit.* 10. §. 4. in suspenso manebat, usque adhuc duraret spes revertendi; nam si paternfamilias quoquo modo e manibus hostium evaserit, reversusque fuerit, omnia pristina jura recipiebat jure postliminii; quod dictum putat Imp. in *d. §. 5. b. 1.* a limine & post; limen enim & limes denotat finem: quæ etymologia a Q. Scævola

la tradita est, ut refert Cic. in *Top. cap. 8.* quoniam qui ex sui Imperii limine exierunt, dein cum redierint ad idem limen, *postliminio reversi* dicuntur, sicut & extra limen pulsi, *eliminati*, unde est *compositum eliminium*. Vide Menagium *Amœn. Jur. Civ. cap. 39.* Notat tamen Ever. Otto in *Vit. Serv. Sulp. cap. 3. §. 4.* *limen* non privatum, sed publicum Imperii accepisse Ictos, nam eum, qui intra patrios fines redierat, *in limen suum rediisse* dixerunt *l. 5. §. 1. l. 19. §. 3. D. de captiv.* quod confirmare videtur etiam Justin. in *d. §. 5. b. r.* Contra vero sentit Heineccius *lib. 1. Antiq. tit. 16. §. 4.* ubi Tribonianum reprehendit, qui *limen* publicum Imperii, non illud privatæ domus accipit: quod non probo.

Ceterum putat Cl. Joseph Scaliger ad *lib. 14. Fest. Pomp. de V. S. postliminii* jus & religionem ab Atheniensibus derivatam esse, ut pleraque Rom. alia, eodemque jure apud Rom. fuisse, qui *postliminio* ab hostibus revertebantur, ac apud Athenienses, apud quos δευτερόποτμαι dicebantur, sc. *iterum nati*. Athenienses autem eos, quos mortuos putarunt, quibusve absentibus justa persolverunt, si postea reversi fuerint, non prius ædes ingredi patiebantur,

tur, quam per sinum laxæ stolæ mulier eos dimitteret, tamquam denuo renasci viderentur. Idem a Plutarcho *Quæst. Rom. cap. 5.* observatum esse accepimus apud Rom. qui nolebant eum, quem mortuum crediderant, aut quem nunquam redditum sperabant, limen reducem ingredi, quia funestari putabant tam limen superum & inferum, si a mortuo calcaretur, quam & ipsum hominem; nam eum ex Orco rediisse dicebant, ut patet ex Apulejo *lib. 11. de Asin. aur.* Quapropter non patiebantur Rom. eum per limen ingredi: sed ex perforato teſto, vel per impluvium domum dimittebant, quasi ex ea nunquam excessisse videretur.

Quod ad postliminii jus attinet, optime ait Paulus in *l. 19. D. captiv.* naturali ratione inter populos introductum esse, *ut qui per injuriam ab extraneis derinebatur, is ubi in fines suos rediſſet, pristinum jus suum recipere*. Continet vero hoc jus duo capita, primum ut reversus statim, ac fines nostrós ingreditur, omnia sua recipiat: alterum, quod reversus fingatur semper in urbe mansisse, ac semper jura sua, ad quæ restituitur, habuisse, quamvis captivitatis tempore vere non habuerit; eoque Ulp.

Tom. I. Lib. I.

M

in

in l. 16. D. cod. ait: *retro creditur in civitate fuisse, qui ab hostibus advenit*. Præter postliminium mentionem facit Imp. in d. §. 4. b. t. legis Corneliae, cuius beneficio ii, qui apud hostes mortui erant, ipso captivitatis momento tamquam liberi & cives Rom. decessisse intelligebantur l. 18. D. cod. idque vero hoc pacto introductum esse tradit Julianus in l. 12. D. *qui testam. fac. pos.* ut confirmarentur testamenta eorum, qui apud hostes decesserant tamquam servi: qua de causa heredem tum ex testamento, tum ab intestato habere non poterant, cum servorum non sit hereditas l. 4. C. comm. de *succes.* Quare sicuti lex XII. Tabb. civibus Rom. constituit heredes testamentarios aut legitimos, ita lex Cornelia captivis, quæ primo bello Punico lata esse perhibetur, cum eo bello quindecim Rom. millia una cum Imp. Atilio Régulo in Poenorum manum venerint. Hac quippe lege fingitur, ut quasi capti ad hostibus in acie cecidissent, ut ita possent successores habere, quos non habituri, si tamquam hostium servi atque in eorum potestate defuncti existimarentur l. 17. D. *de injust. testam.* Pari quoque fictione, ait Imp. si pater apud hostes de-

decesserit, exinde, ex quo captus est, filius sui juris fuisse videtur.

Quinto emancipatione frequentissime solvitur patria potestas. *Emancipare* autem est *e manu dimittere*, sicut contra *mancipare* est *in manum & potestatem dare*. Triplicis vero emancipationis fit mentio a Justin. in §. 6. b. 2. Veteris, Anastasiæ, ac Justinianæ. *Vetus* erat actio legis certis formulis & solemnibus explicanda coram Magistratu; eo quia cum filii recenserentur inter *res mancipi*, quæ illæ proprie erant, quæ per mancipationem alienabantur: *mancipatio* autem erat actus legitimus, quo hujusmodi res solemnī more per æs & libram alteri tradebantur: idcirco *emancipatio* per æs & libram expediabatur. Cum igitur pater ex lege Romuli & Decemvirali ter filium vendere posset, qui non nisi per trinam venditionem & manumissionem liber & sui juris evadebat, cessante inde sub Antoninis vera liberorum venditione, orta est in emancipatione trina illa venditio imaginaria, quæ, ut Paulus docet lib. i. sent. tit. 24. vel eodem die, vel interpositis diebus expediabatur eodem ferme ritu, quo *mancipatio*, id est, præsentibus quinque testibus

puberibus & civibus Rom. libripende, & alio, qui *antestatus* audiebat. *Antestari* quidem Latinis est tacta auricula testem advocate, ut rei gestæ meminisset; nam aures apud Veteres erant memoriarum symbolum.

His igitur præsentibus coram magistratu emancipatio solemniter peragebatur: pater enim naturalis ter filium vendebat, emptor, quem *patrem fiduciarium* appellat *Cajus lib. I. Inst. tit. 9.* illum ita mancipatum ter manumittebat, solemniter vindiictæ ritu in servilem modum, ceu describit *Theophilus* in *d. §. 6. b. 2.* atque ita tria hujusmodi venditione & manumissione patria potestas solvebatur: in filia vero & nepote unica requirebatur mancipatio. Animadverti heic tamen oportet, ubi tertia fiebat mancipatio, solebat pater naturalis cum emptore pacisci, ne ab eo manumitteretur, sed ut sibi remanciparetur: quo casu dicebatur *vendi contracta fiducia*. Pater vero filium sibi remancipatum instar servi per vindictam manumittebat, ut manumissione fieret ejus patronus, & jura patronatus haberet. Hac itaque forma Jure vetere fiebat emancipatio, eoque sic rescriperunt *Diocletianus* &

Ma-

Maximianus l. 3. C. de emancipat. liber. non nudo consensu patris liberi potestate, sed actu solemni, vel casu liberauntur.

Has autem emancipationis veteris ambages substulit omnino Anastasius in *l. 5. C. de emancip. liber.* ubi permisit liberos a parentibus, qui id specialiter per rescriptum impetraverint sine Juris solemnitatis emancipari, insinuato tamen rescripto apud Magistratum competentem, nuda patris voluntate, consentiente tamen filio, sive antea, sive post impetratum rescriptum, sive praesens fuerit, sive absens; nisi sit infans, qui etiam sine ejus consensu hoc modo emancipatur. Denique Justin. posthabita Anastasianæ emancipationis formula, statuit in *l. ult. C. eod.* patrem emancipare posse filium, etiam non impetrato Principis rescripto, dum filius consentiat, vel saltem non contradicat; atque ita explosa omni vetere fictione sola voluntatis declaratione facta apud competentem Judicem, sive Magistratum, ad cuius jurisdictionem actus emancipationis pertinet ex sententia Anastasii & Justin. filium in judicio praesentem e manu patris dimitti voluit: eoque facto permisit, patri omnia praestari jura, quæ patrono in bonis liberti

tribuuntur , nec minus eum , si impubes filius sit , legitimam ejus tutelam nancisci . Dixit id fieri oportere *præsente filio* , quid si absit ? putat Duarenus ad tit. D. de adopt. cap. 13. non aliter emancipari posse , quam rescripto Principis , ac emancipationem tunc ratam haberi , cum filii consensus acceperit , apud quemcumque Judicem præstitus .

Porro quælitum est , an caussa in emancipatione requiratur ? nullam requiri rescripsierunt Impp. l. 3. C. de emancip. liber. sed actus tantum solemnitatem : nec *causæ* , quibus motus pater emancipaverit , sed *actus solemnitas queritur* . Obtinet quidem emancipatio inter volentes : ita neque liberi invitati manumittuntur , neque parentes coguntur eos manumittere l. 31. D. de adopt. & confirmat Imp. in §. ult. b. r. ubi tamen addit particulam *pene* , quoniam si adferatur justa caussa , contra est , & adest exemplum in l. 32. & 33. D. eod. l. 3. §. 6. D. minor. Pulchrum tamen est , quod adfert Ulp. in l. 92. D. de C. & D. quod patre instituto herede , vel ei reliquo legato vel fideicomissio , & rogato , ut filios emanciparet , si legatum postea adgnoverit , vel hereditatem adierit ,

rit, quamvis jure ordinario, ut ait Marcianus in l. 114. §. 8. *D. de legat.* i. non cogatur emancipare, attamen compelli poterit *extra ordinem*, id est, *auctoritate Principis*, ut explicat Cujacius ad lib. 8. *Responf. Papin.* ad l. 93. *D. de C. & D.* ut filios emancipet, ne circumveniatur voluntas testantis, qui legatum vel hereditatem videtur patri reliquisse sub conditione, si nempe filios suos emanciparet. Idem habet Paulus lib. 4. *sent. tit.* 13. Cogitur quoque pater filium emancipare ex rescripto D. Trajani, si eum contra pietatem male afficiat l. 5. *D. si a parent. quis manumis.* Idem ex rescripto Theodosii, si peccandi necessitatem filiabus imposuerit l. 12. *C. de Episc. audient.* Quandoque filii ingrati, et si emancipi, poterunt in potentiam a patre revocari l. unic. *C. de ingrat. liber.* Denique ad hanc rem animadverti oportet, emancipationem, cum inter actiones legis accenseatur, ad unicum actum fieri non posse: quare neque diem, neque conditionem recipit: quod adeo verum est, ut filius postea invitus redigi nequeat in potentiam patris l. ult. *D. de iis, qui sunt sui.* Imo si pater eum emancipaverit non jure, neque solemniter, ad-

versus tamen factum suum controversiam
movere prohibetur *l. 25. D. de adopt.* ta-
metsi alius talem emancipationem impu-
gnare possit *l. 5. §. 1. D. de probat.* De-
mum quæ de emancipatione habet Justin.
in §. 7. 8. & 9. b. r. clara sunt, nec ulla
indigent explicatione.

De Tutelis.

Ad tit. XIII. Instit. b. l.

§. I.

*De tutelæ etymologia, definitione,
& divisione.*

Ad princ. & §. I. & II. Instit. b. t.

Diximus personas quasdam esse sui ju-
ris, quasdam alieni: quæ autem
sunt sui juris, in duo genera heic subdi-
viduntur: unum est earum, quæ in tutela
sunt & curatione aliorum: alterum constat
ex iis, quæ neutro jure tenentur. Justin.
itaque in *b. tit. XIN.* ab illis, quæ sub-
tute-

tutela sunt, exordium sumit *princ.* b. t. *Tutela* quidem secundum Grammaticos a verbo *tuor* dicta est, quod idem est, ac *prospicio & defendo*: & tutela *defensionem, conservationem, curationemve* denotat. Hinc *tutores* quasi *tuatores* ac *defensores* dicti pari modo, quo *æditui*, qui sacras ædes tuerunt §. 2. b. t. Definitionem autem tutelæ ab effectu, officio, & causa desumptam, elegantissime traditam a Sulpicio habemus apud Paulum in *I. I. D. b. t.* ad quam recentiores apud Montanum *lib. de tutel. cap. 2.* hæsitarunt. Accursius vero & Bartolus multa magnaque menda admiserunt, quæ notavit Cujacius ad *lib. 38. Paul. ad Edict.* Ejus verba recitat Imp. in §. 1. b. t. quæ sedulo expendenda nunc sunt: *est autem tutela vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter etatem se defendere nequit, Jure Civili data ac permissa.*

Dicitur primo tutela *vis ac potestas*, id est, *auctoritas & potestas*, ut loquitur Gellius *lib. 5. N. A. cap. 19.* quam tutor in pupillum habet. Hæc duo verba idem significantia, more Græcorum crebro junguntur apud Latinos, ut observat Cl. Noodt in *Comm. ad b. t. D.* notantque heic præ-

præcipuum tutelæ effectum . Deinde ait Servius *in capite libero*, sc. in pupillo , qui sui juris est , licet id perperam neget Cujacius lib. 21. observ. cap. 23. ideo reprehensus ab Ever. Ottone in princ. b. 2. *Caput autem liberum* apud Veteres pro homine libero dicitur , teste eodem Gellio cit. loc. & Ulp. in *Frägm. ius. II. §. 5.* Quare servi & filiisfamilias , qui dicuntur esse *sine capite* , sub aliorum tutela esse nequeunt . Subnectit postea *ad tuendum cum* , quo significari videtur tutelæ officium , quod versatur in defensione corporis pupilli , inque ejus bonorum administratio-
ne , cum propter ætatem neque se neque sua tueri possit impubes . Hinc duplex est tutelæ officium , bonorum administratio , seu defensio caussæ pupillaris l. 30. *D. de ad- ministr. tut.* atque pupilli educatio : quo nomine non tantum significatur victus , vestiarium , & habitatio , sed etiam institutio morum & artium liberalium l. 2. *C. de alim. pupil. præst.*

Geterum non inconsulto Sulpicius in definitione addit illud , *qui proper æta- tem se defendere nequit*: voluit enim , ut conjicit Ger. Noodt in *Comment. ad b. 2. D. ex usu* sui temporis tutelam pupillo-
rum

rum a tutela muliebri per aetatem distinguere: nam olim non alius, quam impubes, sive mas, sive femina propter aetatem tutorem accipiebat. Mulieres autem duodecimum annum egressæ non propter aetatem, sed ob sexus judicijque infirmitatem etiam sub tutela, & quidem perpetua manebant: cuius sane origo antiquissima est apud Rom. fortasse a Jure Attico profecta. Hinc vocatur *tutela sexus* a pupilliari diversa, quæ in quibusdam mulierum negotiis rite expediendis versabatur: hujusmodi enim tutores mulieribus in judicio vel extra agentibus quandoque auctoritatem suam interponebant; qua de re consule Ever. Ottонem in *Dissert. de perpet. femin. tut.* ubi probat, paulatim hanc tutelam in desuetudinem abiisse, adeo ut post Constantini tempora plane desierit: quæ caussa est, cur in Codice nullum ejus subsistat vestigium.

Ultimo loco, ut tutelæ caussam efficiētem notaret Sulpicius, illa addit, *Jure Civili data ac permissa*: quæ verba indicant tutelam, quamquam originem habeat a Jure Naturali, volente eum, qui non sit perfectæ aetatis, alterius tutela regi, ut probat Justin. infra in §. penult. tit. de

Atil.

Atil. tut. formam tamen certam a Jure Civili , sc. a Prudentiam interpretatione postea accepisse : quæ sane forma versatur circa modum tutelæ constituendæ , gerendæ , & demum finiendæ : quamquam enim jus dandi tutorem patribus , Magistratibusque a legibus derivatum sit ; qualem tamen potestatem , auctoritatemque tutores in pupillum ejusque bona habeant , interpretatione Prudentum secundum Juris Civilis regulas definitum est ; eoque pertinere postrema Sulpicij verba docuit Merillius lib. 8. observ. cap. 17. Hæc de tutelæ definitione : sequitur divisio . Justiniano autem in l. 52. C. de Episc. & Cler. triplex est , testamentaria , legitima , & dativa , eo quod tutela aut testamento , aut lege , aut a Magistratu defertur . Alii vero in duas partes dividunt , in legitimam & dativam l. ult. C. de legit. tutor. Dativa rursus vel testamentaria est , vel Atiliana , sive a Praetore data . De singulis igitur agendum , & primo de testamentaria in b. t. XIII. cum Justin. utpote quæ primum locum habet .

§. II.

§. II.

De tutela testamentaria, ejusque forma.

Ad §. II. C^o reliquos Inst. b. 2.

TESTAMENTARIAM autem tutelam a legibus XII. Tabb. descendere, apud veteres Jctos exploratum est: verba ejus habemus apud Paulum in l. 53. *D. de V. S. & Ulp. in Fragm. tit. II. §. 14.* uti paterfamilias legasset super pecunia tutelave sua, ita jus esto. Utrum vero his propriis verbis usi sint Decemviri, an aliis, questionis est. Sensus tamen eorum est, patremfamilias, id est, eum, qui in domo dominium habet, ut explicat Ulp. in l. 195. §. 2. *D. de V. S.* liberis suis testamento tutorem dare posse: at non omnibus quidem indistincte, sed iis ex sententia Q. Mucii Scævolæ in l. 73. §. 1. *D. de R. J.* quos non solum in potestate habet tempore mortis, sed qui post ejus mortem in alterius potestatem non sunt recasuri. Hinc nepotibus, qui post mortem avi in filii potestatem reincidunt, avus tutorem testamento dare nequit. Sed si filius vivo ayo moriatur, vel alia quavis ratio.

ratione de ejus potestate exeat, tunc nepotes in ea sunt causa, ut tutorem in testamento avi accipere possint §. 3. b. 2. Præterea non solum liberis jam natis, sed etiam postumis recte tutor datur testamento, ea quippe ratione, quam indicat Justin. in §. 4. b. 1. quia tutela ad pupilli utilitatem spectat: & generaliter ait Paulus in l. 7. D. de stat. homin. qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur, quories de conmmodo ipsius partus quaeritur. Verum hæc tutela interim in suspenso manet usque ad nativitatem postumi: ait enim Ulp. in l. 19. §. 2. D. de testam. tut. testamento datus postuma tutor, nondum est tutor, nisi postumus edatur.

Quid vero dicendum, si pater tutorei dederit filio emancipato? non recte datum ait Modestinus in l. 1. §. 1. D. de confirm. tut. quia lex XII. Tabb. parentibus permisit filiis in potestate tantum constitutis tutorem dare, non autem emancipatis. Verum subdit idem Modestinus in d. l. 1. §. 2. et si non jure datus sit tutor, a Prætore tamen confirmari oportere secundum patris voluntatem sine inquisitione, ut facetur Justin. in §. ult. b. 2. Idem quoque accipendum moneo, si tutorem dederit quis-

quisque alius, qui tutoris dandi jus non habuit, veluti pater naturalis, mater, avia, avus maternus, patruus, patronus, aut quilibet extraneus: ab his enim dati tutores ipso jure non subsistunt, sed confirmatione egent, & decreto Prætoris, duobus tamen servatis. Primo requiritur, ut mater, avus, patruus, vel extraneus pupillum, qui extra ea nihil in bonis habet, heredem instituat *l. 2. 3. 4. & 5. D. eod.* quod etiam servandum in tute ore dato a patre naturali *l. 7. D. eod.* Secundo cautum est, ut non confirmetur, nisi cum inquisitione, nempe inquire oporteat in mores & facultates tutoris dati, alioquin confirmari non debet *d. l. 1. §. 2. l. 2. & 3. D. eod.* quod cum ita sit, hujusmodi tutores magis in rem, quam in personam dati vindentur, auctore Modestino in *l. 4. D. de testam. tut.* Vide Voët in *Comm. ad d. tit. D. num. 5.*

Ceterum tutor non alibi dari potest, quam in testamento, in quo datur simul hereditas: quare ut valeat tutelæ datio, oportet, testator simul de tutela & pecunia, id est, de hereditate sua testamento disponat *l. 1. D. eod.* At si dederit in codicillis testamento confirmatis, perinde est, ac ~~si~~ testa,

testamento dedisset l. i. §. i. *D. de confirm. tut.* Quid autem si tutor datus sit in codicillis testamento non confirmatis? certe non subsistit ipso jure tutela: quemadmodum nec si datus sit verbis precativis hoc modo: *rogo Titium, ut sit tutor filii meis*; quia ait lex XII. Tabb. *uti legasset*, id est, uti imperativo modo instar legis disposuerit: id enim significat verbum *legare*. Sed ait Modestinus in *d. l. i. §. i.* placuisse Principum constitutio-
nibus hoc, quod deficit, suppleri imperio Magistratus, & secundum mentem *confirmari tutorem*. Demum illa verba legis ita *jus esto* procul dubio respiciunt ad effe-
ctum dationis, ut voluntas patris pro lege observetur.

Qui Testamento tutores dari possunt.

Ad tit. XIV. Instit. b. l.

VIdimus adhuc, qui tutores testamen-
to dare possunt, ubi & quomodo;
de iis vero, qui tutores dari possunt, &
qua

qua forma, edifferit Imp. in *b. tit. XIV.* Cum tutela igitur testamentaria a lege Decemvirali proficiscatur, factum est ex ejusdem legis sententia, quæ lata nimis est, ut quilibet indistincte dari tutor possit *l. 20.* *D. de testam. ruse.* Ad rem tamen notat Pomponius in *l. 120.* *D. de V. S.* sed id interpretatione coangustatum est vel legum vel auctoritate jura constituentium. Hinc feminæ ex interpretatione Prudentum nequeunt tutelam gerere, quia muneribus civilibus non funguntur: tutela autem cum sit civile munus, nempe *masculorum munus*, ab illa excluduntur ex regula Sabiniiana in *l. 2.* *D. de R. J.* Addit tamen Neratius in *d. l. ult.* nisi a Principe filiorum tutelam specialiter postulent. Plane ex constitutionibus Principum antiquissimis mater ad tutelam filiorum admittebatur, si a Principe impetraverit, hoc forte colore, quod pater moriens voluerat eam administrare negotia filiorum suorum, cœu patet ex *l. 2. §. 25.* *D. ad Scum Tertyl.*

Postea cautum est ex *l. 2. & 3. C.* quando mulier, ut deficientibus tutoribus testamentariis & legitimis, possit matri deferriri a Magistratu tutela filiorum tam naturalium, quam quæsitorum ex justis nu-

Tom. I. Lib. I.

N

ptiis,

ptiis, si modo juraverit se non nupturam, & renunciaverit Sc̄to Vellejano. Hodie vero ex Jure novissimo remittitur matri hoc jusjurandum, ne perjurio via aperiatur: at si secundo nupserit, ipso jure tutela privatur Novell. 94. cap. 2. unde de sumpta est Authentica *Sacramentum* C. ead. Item præfertur mater omnibus tutoribus legitimis, non autem testamentariis ex Novell. 118. cap. 5. quod etiam ad aviam porrectum est *Authent. matris & aviae* C. ead.

Præterea excludebatur olim ab officio tutelæ Latinus Junianus ex L. Junia, teste Ulp. in *Fragm. tit. 11. §. 16.* Prohibentur vero ex Jure novo tutores esse debitores & creditores pupillorum, excepta matre & avia *Novel. 72. cap. 1. Novel. 94. cap. 1.* Item Monachi & Episcopi *Novel. 123. cap. 5.* reliqui vero Clerici licet nec testamento, nec a Magistratu ad tutelam vocandi sint, legitimi tamen tutores esse possunt, si sua sponte tutelam suscipere apud competentem Judicem intra quatuor menses scripto declarant d. *Novel. 123. cap. 5.* qua in nonnullis cor recta est lex 52. C. de Episc. & Cler. Milites quoque etiam volentes ab omni tute-

tutela repelluntur *l. 4. C. qui dare tutores.* Denique non possunt tutores dari omnes, qui expresse a lege prohibentur, sed *bi dari possunt* (ut utar verbis Pauli in *l. 21. D. de testam. tutel.*) *cum quibus testamenti factio est*, sc. passiva, quibus verbis indicat Paulus, eos solos posse dari, qui liberi & cives Rom. sunt, nec nominatim a lege prohibentur.

Ex his itaque constat, legem XII. Tabb. et si lata nimis esset, postea vero in non nullis coangustatam fuisse. Quamobrem exceptis iis, qui a lege excluduntur, quilibet aliis testamento vel extraneus, etiam non ejusdem civitatis *l. 32. D. eod.* dari poterit tutor, sive privatæ conditionis, si ve Prætor vel Consul sit, non solum paternfamilias, sed etiam filiusfamilias, auctore Justin. in *princ. b. r.* ea ferme de caussa, quia tutelam munus publicum est, quod omnes subire tenentur: & quamquam filiusfamilias respectu patris & in re domestica nec caput nec personam habeat, *in caussis tamen publicis loca paternfamilias habetur*, ait Pomponius in *l. 9. D. de his qui sunt sui.* Imo & servum proprium pater testamento tutorem dare potest, si *eum tamen cum libertate dederit* *§. 1. b. r.*

b. t. quia tutela Juris Civilis est, eoque servi repelluntur. Quid si dederit sine libertatis facta mentione? Olim inter Jetros dubitatum fuit, sed postea obtinuit ex præsumpta & tacita testatoris voluntate, ut hic tutor fiat & liber *d. §. 1. b. t. l. 23. §. 2. D. de testam. tutel.* quod favore libertatis & tutelæ introductum est *l. 9. C. de fideicommis. libert.*

Rursus quæritur, si pater tutorem dederit eum, quem putat esse liberum, utrum tutor & liber fiat? negat cum Justin. in *d. §. 1. b. r. Ulp. in l. 24. §. 9. D. de fideicommis. libert.* quia qui errat, consentire non videtur: error enim sensui maxime adversatur *l. 116. §. 2. D. de R. J.* Quid autem si tutorem scriperit servum alienum? Distingui oportet, si pure, tunc dat inutiliter, quia servos proprios pure possimus tutores scribere, cum illis directam possimus libertatem dare, contra autem est in servis alienis. Sed si detur sub conditione, *cum liber erit*, tunc utilis datio est, videtur enim fideicommisariam ei libertatem dare; adeoque heres ex voluntate testatoris servum luere debet, & manumittere, ut tutor fiat. At si sub hac conditione servum proprium tutorem quis

quis scripserit, inutiliter dari docet Justin. in d. §. 1. b. 1. quia qui potuit pure eum dare tutorem, vel directo manumittere, & noluit, videtur actum ludere, & nugas agere.

Agitur in §. 2. b. 1. de furioso & minore viginti quinque annis, qui testamento datus est tutor. De furioso dissensio fuit inter Pomponium & Proculum, teste Ulp. in l. 10. §. 3. *D. de testam. tutel.* Pomponius autem putabat, si furiosus pure scriptus sit tutor, valere dationem, & tunc fieri tutorem, cum furere desinit. Proculus contra negat valere dationem, nisi expresse scriptus esset sub conditione, *cum furere desinit.* Sed prævaluuit Pomponii sententia, & quasi tacite conditio adjecta intelligitur. At si in morbum sanguinem abierit furor, tunc alias in ejus locum datur tutor l. 39. §. 5. *D. de judic.* Idem intellige, si tutor scriptus sit minor viginti quinque annis: hic enim recte tutor datus est, & tunc tutela suscipiet, cum jam factus sit major d. §. 2. b. 1.

Qua vero forma dandus sit tutor testamento, docet Justin. in reliquis §§. b. 1. Lex quidem XII. Tabb. ita locuta erat, *ut legassit, sc. quoquo modo legassit:* quæ

verba respiciunt etiam ad modum & formam dandi tutores ex voluntate patris. Quare ait Ulp. in *l. 8. §. 2. D. eod.* tutorem & a certo tempore dare & usque ad certum tempus licet, & sub conditione: imo addit Justin. in *§. 3. b. r. vel ante hereditatis institutionem*: quod olim in dationibus libertatum & legatorum non admittebatur. Forma autem, qua tutela constitui debet, illa proprie est, ut detur personæ, non rei: nam tutelæ finis is est, ut qui propter æstaten se defendere nequit, alterius tutela regatur. Hinc fit, ut nequeat tutor dari separativim a persona certis rebus, certisque caussis *§. 3. b. r.* quia cum detur personæ, quæ individua est, universo patrimonio datus intelligitur. Hac ferme de caussa in eadem lege *XII. Tabb. coniuncta* fuit cum hereditate tutela; nam quemadmodum ex certis rebus institui heres nequit, ita nec etiam tutor ad certam rem vel caussam dari potest, alioquin datio non valebit, auctore Pomponio in *l. 13. D. eod.* Addit tamen Ulp. in *l. 15. D. eod.* consuetudine receptum esse contra Juris regulam, ut si patrimonium tam diffusum sit, ut in diversis locis sita sint bona, pater possit rerum administratio-

tionem dividere inter duos pluresve tutores , ita ut aliis sit tutor rei Syriacæ , aliis Africanæ .

Demum in §. ult. b. t. docet Justin. ex sententia Ulp. in l. 6. C 16. D. cod. quod si pater tutorem dederit filiis , filiabusque suis , etiam postumis dedisse censetur : quia sub appellatione *filiorum* etiam postumi comprehenduntur. Idem intellige , si filiis tantum masculis dederit , etiam filiabus dedisse videtur ex illa Juris regula in l. 195. D. de V.S. Contra tamen est , si dederit filiabus , nulla facta filiorum mentione : qua de re rationem adfert Pomponius in l. 45. D. de legat. 2. exemplo *pessimum esse feminino vocabulo etiam masculos consiniri*: quod hac de cauſa factum sibi persuadet Alciatus lib. 2. Parerg. cap. 48. quia apud Veteres opprobriosum erat , feminino vocabulo masculos indicari . Dubitatio tamen major est , si dederit filiis , utrum dedisse videtur etiam nepotibus ? Justin. in d. §. ult. b. t. securus ejusdem Ulp. sententiam , ita hac in re distinguit , si testator usus sit vocabulo *liberorum* , tunc etiam nepotibus dedisse censetur ; nam appellatione *liberorum* veniunt etiam ne- potes l. 220. D. de V. S. At si filiis de-

derit, non dedisse nepotibus putat Ulp. in
d. l. 6. & caussatur : *aliter enim filii,*
aliter nepotes appellantur.

De Legitima Adgnatorum tutela.

Ad tis. XV. Insti. b. l.

Secunda tutelæ species est *legitima*, cuius origo a lege XII. Tabb. est. Verba legis profert Gothofredus hoc ferme modo : *Si paterfamilias intestato moritur, cui impubes suus heres efcit, adgnatus proximus tutelam nancitor.* Ideo autem appellatur *legitima*, quia non judicio & voluntate defuncti, sed ipsius legis providentia quibusdam personis defertur, quare dicuntur *tutores legitimi*, quia a lege dantur, diversi a testamentariis, qui dantur a patre testamento, cui dandi potestas ab ipsa L. XII. Tabb. concessa est. Lex igitur XII. Tabb. deficientibus tutoribus testamentariis, vocat ad impublicerum tutelam adgnatos proximos; idque summa providentia cautum laudat Ulp. in l. i.

D. de

D. de legit. sus. ut qui sperarent banc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Quapropter qui sint adgnati, ad quos lege tutela pertinet, & qui proprie cognati, definiri nunc oportet.

Ex mente Caii in *l. 7. D. eod.* cuius verba in §. 2. b. s. translata sunt, definitiuntur adgnati omnes, qui per virilis sexus personas inter se cognitione junguntur, sive naturale sit hoc vinculum, sive civile, quale est adoptio; nam etiam per adoptionem quis adgnationis jura consequitur §. 2. tit. de legit. adgnat. succes. Instit. lib. 3. Hinc frater ex eodem patre natus, fratri filius, neposve ex eo, item patruus, ejusve filius, & nepos adgnati sunt, quia per virilis sexus personas inter se cognitione adnexi sunt. Contra cognationis nomen, quamvis generale sit, contineatque omnes, qui ab uno eodemque habuerunt commune nascendi principium, idcirco includat etiam adgnatos; speciali tamen significatione in Jure notat eos, qui per feminini sexus personas cognitione junguntur. Ita nempe matris frater, sororis & amitæ filius, *cognati in specie* dicuntur; nam per feminas nobis conjuncti sunt d. §. 1. b. s. l. 4. §. 1. l. 10. §. 2. D. de

de grad. Sed de adgnatorum & cognatorum nomine plura dabimus infra in tit. 2. §. 1. & tit. 5. §. 1. *Instit. lib. 3.*

Lex igitur XII. Tabb. deficientibus testamentariis tutoribus, vocat primo loco ad tutelam adgnatos proximos. Proximum autem appellat Paulus in *l. 92. D. de V. S.* cui nemo antecedit. Ideo vero adgnatos ad tutelam vocat, quia eos pariter ad hereditatem vocavit: voluit enim, ut qui pupilli successionem sperarent, ipsi tuerentur bona ejus, ne dilapidarentur *l. 1. D. de legit. tut.* Unde natum est argumentum, quod ab hereditatis commodo sumitur ad onus tutelæ, a Q. Mucio Scævola inventum in *l. 73. in princ. D. de R. J.* quo tutela redit, eo hereditas pervenit. Eodem argumentandi genere utitur Justin. infra in tit. de legitim. patron. tutel. ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Addit. tamen in d. l. 73. idem Scævola: nisi cum feminæ heredes intercedunt; tunc enim regula deficit ex alia Juris regula, qua feminæ a civilibus muneribus excluduntur *l. 2. D. de R. J.* Ita soror consanguinea pupillo fratri legitima est heres, at aliis adgnatus tutor erit *l. 1. §. 1. D. de legit. tut.* quod pluribus aliis exem-

exemplis firmat Hermogenianus in *l. 10. D. cod.* Idem intellige, si quævis alia persona intercedat, quæ tutelam administrare nequeat, veluti surdus & mutus *d. l. 10. §. 1.* & ex constitutione Justin. minor *l. ult. C. eod.* Quod ad cognatos vero attinet, procul dubio lex XII. Tabb. neque ad legitimam hereditatem, neque ad tutelam eos vocavit, deficientibus adgnatis. Sed hoc mutavit Justin. *Novel. 118. cap. 4.* & §. omni differentia adgnationis & cognationis utraque in specie sublata, efficitque, ut quisque pupillo proximus sanguine esset, is etiam sive adgnatus, sive cognatus tum ad ejus hereditatem, tum ad tutelam haberetur proximus. Verum his omnibus prætulit matrem & aviam, modo a secundis nuptiis se abstinerent, & renunciarent Scoto Vellejano.

Denique queritur, quando tutoribus legitimis detur locus? Ait Justin. in §. 2. b. 2. tunc succedere legitimam, cum deficit testamentaria: idque vero accidit patre mortuo intestato: quod intellige ex Paulo in *l. 6. D. de Legit. sur.* vel quia testamentum non fecit, aut quod fecit, nullum, irritum, desertumve factum sit; vel quia testamento liberis suis tutores non dedit;

dedit; quantum enim ad tutelam pertinet, etiam *intestatus* dicitur, qui de hereditate disposuit, de tutela minime: aut etiam si de tutela disposuerit, datus tamen tutor, vivo vel mortuo testatore, desit ipso jure tutor esse: quod fit, cum adhuc manente impubere, tutor decedat *d. l. 6.* & *l. 11.* §. 3. & 4. *D. de testam. tutel.* nec interest, utrum coepit tutelam gerere, an non: tutela enim ad legitimos redit. Quid si duo pluresve testamento dati tutores sint, unus supersit, ceteris defunctis? eo casu tutores legitimi non succedunt in demortuorum locum, quia uno superstite non deficit tutela testamentaria; nec tamen alteri tutori testamentario superstiti tota ad crescit tutela, sed in locum defunctorum dandi sunt a Magistratu alii tutores *d. l. 11. §. 4.*

Ceterum si tutor testamento datus sit sub conditione, vel ex certo die, tunc quia hic tutor non deficit, sed futurus speratur ex testamento, ideoque non legitima tutela succedit, sed alius tutor a magistratu interim dandus est *d. l. 11. in princ.* Idem est, si testamentarius tutor a tutela excusat, aut removeatur ut suspectus *d. l. 11. §. 1. & 2.* nam ex his causis non desi-

desinit esse tutor ipso jure, et si facto magistratus a tutela removeatur; & ideo Se natum censuisse, ut in locum ejus alius detur tutor, refert Ulp. in *Fragm. tit. 1. l.* §. 23. Demum addit Justin. in §. ult. b. s. quod jus adgnationis capitis deminutione perimitur, cognationis vero non utique: nam adgnatio, quæ familiam denotat, a Jure Civili profecta est; cognatio vero, cum naturale contineat vinculum sanguinis, Juris Naturalis est. Quapropter adgnatio alia civili ratione tolli potest, cognatio non potest.

De Capitis deminutione.

Ad tit. XVI. Inst. b. l.

Agitur in b. t. XVI. de capitis deminutione, quam Justin. in *princ. b. t.* & Caus in *t. 1. D. de cap. minut. prioris status mutationem* definiunt: *minuere* enim idem est, ac *mutare*; & *caput* hoc in loco notat hominis conditionem sive civilem statum, ut heic Ever. Ottöni placet & Ger. Noodt in *Comment. ad d. tit. D. Sta-*

Status autem hominis civilis tria hæc continet, ait Paulus in *I. ult. D. eod.* libertatem, civitatem, & familiam. Libertas quidem & civitas ad statum ejus publicum respiciunt, familia vero ad privatum. Quare qui ex libero servus, vel ex cive peregrinus fit, vel filius familias per adrogationem, aut paterfamilias per emancipationem, status ejus mutatur, eoque dicitur *capite minusus*. Hinc Paulus in *d. I. ult.* ratione triplicis hujus status, triplicem quoque facit capitum deminutionem, *maximam*, *mediam*, & *minimam*. Ulp. vero duplum, sc. *magnam*, & *minorem* in *I. i. §. 4. D. de suis & legit. hered.* Sed differentiam in verbis esse, in re nullam, luculenter ostendit Ger. Noodt *lib. 2. observ. cap. 21.* siquidem Ulp. sub *magna complexus est* statum hominis publicum, qui in libertate & civitate consistit, sub *minore privatum*. De singulis nunc agendum.

Maxima autem capitum deminutio tunc contingit, teste Justin. in *§. 1. b. 2.* cum quis libertatem, civitatem, & familiam simul amittit *I. ult. D. de capit. minut.* quod sit, cum quis ex libero servus evadit, vel Jure Gentium, cum bello capti-
vus, vel Jure Civili propter poenam,
sc.

sc. cum declaratur poenæ servus: ita qui ad metalla, ad bestias, vel ad ultimum supplicium sunt damnati, *pœnæ servi fieri dicuntur*. Hanc vero poenæ servitutem quædam fictione introductam esse, credit Cl. Noodt *lib. 3. probab. cap. 12.* ad eludendam fortasse XII. Tabb. legem, quæ statuerat, ut de capite civis, non nisi per maximum Comitium decerni posset, ita ut civem neque morte, neque ad metalla, neque ad bestias damnari fas esset, nisi per Pop. in comitiis centuriatis: cum enim Pop. non semper pro omnibus cauissim tam facile in Campo Martio convenire posset, factum est, ut qui ad capitale supplicium damnandus esset, eum Quæsitores prius fingerent jam civem non esse, eoque libertatis, civitatisque jus ipso crimine amississe, atque ita servum poenæ declararent, quo non ut civis, sed tamquam servus capitis poenam lueret. Hoç igitur modo lex XII. Tabb. eludebatur, hoç quæsito colore, quod illa non de servo, sed de cive locuta erat. Verum hanc poenæ servitutem substituit omnino Justin. *Novel. 22. cap. 8.* ubi ait: *nullum ab initio bene naturorum ex supplicio permittimus fieri servum:* atque ita abrogata est lex 17. *D. de pœnis.*

Ef.

Effectus autem hujus capitinis deminutionis is est, ut morti comparetur: ait enim Ulp. in l. 59. §. 2. *D. de C. & D. servitus autem morti ad similitur*. Quare qui maximam patitur capitinis deminutionem, absolute pro mortuo habetur: ideoque extinguitur ejus jus tum publicum tum privatum, nec minus naturale, quam civile, ficut fieret, si mortuus esset. Verum quoad servos Jure Civili, cum ex d. *Novell. 22. cap. 8.* sublata fuerit servitus poenæ, hodie ad metallum aut ad opus publicum, aut ad ultimum supplicium damnati, non amplius fiunt poenæ servi, nec maximam patientur capitinis deminutionem, cum libertatem retineant, sed jura tantum civitatis amittunt. Antiquitus sane erat alter effectus poenæ servitutis, qui sub Impp. invalidit, ut publicarentur bona ejus, qui poenæ servus evadebat: ita Callistratus in l. 1. *D. de bon. damnat. damnatione bona publicantur*, cum aut vita adimitur, aut civitas, aut servilis conditio irrogatur. Verum si justi liberi, vel etiam adoptivi superessent, legitimæ eis portiones tribuendæ erant l. 7. §. 1. & 2. *D. eod. Theodosius tamen & Valentinianus in l. 10. C. eod. dimidiam bonorum partem liberis, alteram*

ram Fisco reserverunt.. At Justin. *jus vetus abrogans Novel. 17. cap. 12. & Novel. 134. cap. ult.* excepto Majestatis crimine , omnia damnatorum bona descendantibus , vel adscendentibus , vel collateralibus usque ad tertium gradum , excluso Fisco , addixit *Auribent. bona damnatorum C. eod.*

Sequitur nunc media seu minor capitis deminutio , cum civitas & familia amittitur , libertas vero retinetur ; idque exilio vel deportatione contingere , ait Imp. in §. 2. b. t. quare de utroque poenæ generre nunc agendum . Quicumque ergo sive sua sponte , sive poenæ caussa extra solum suum habitant , *exules* dicuntur : quorum tamen tria sunt genera : nam alii *interdicti* , alii *relegati* , alii *deportati* nominantur : quod indicat rubrica in Pandectis *de interdictis , relegatis , & deportatis* . *Interdicti* dicuntur , quibus interdictum est certi loci aditu , commercioque , veluti si quis Roma abesse jubetur : quæ poena hunc habet effectum , ut tantum a certis locis abstinere se debeat , in omnibus reliquis suo possit arbitrio sine poenæ metu morari , aut versari *I. 7. §. 10. D. eod. Relegatorum* autem duo sunt genera : alii enim proprie *relegati* dicuntur , cum aliquem in locum ,

veluti in insulam amandantur: quæ poena vocatur a Marciano *insulæ vinculum* in l. 5. D. eod. Alii vero improbie relegati appellantur, qui modo non amandantur alio, sed certum in locum quodammodo includuntur: cuius exemplum profert Ulp. in l. 9. D. eod. quando Præses quemdamnat, ne de domo sua prodeat, vel ut in certa provinciæ parte moretur, aut civitatem aliquam, aut patriam non excedat l. 7. §. 8. D. eod. eaque poena ab eodem Marciano in d. l. 5. dicitur *lata fuga*; quia hac poena affectus omnia alia loca præter locum certum sibi præstitutum fugere debet *lata fuga*, id est *magna fuga*. Deportati demum erant, qui vinciti in navim aliquam imponebantur, atque a servis publicis in insulas, terraque desertas, vel aere & bestiis infestas transferebantur, ubi vitam brevi amittebant: quod sane atrocissimum exilii genus ab Augusto primum inventum fuit ad suasionem Liviæ, teste Dionæ lib. 55. Hist.

Quamquam autem *exilii* nomen, ut modo diximus, generale sit, sunt tamen inter exiles sive interdictos, relegatos, & deportatos differentiæ: exiles enim ii proprie nuncupantur, quibus aqua & igni in-

interdictum est: quare saepius exilium apud Veteres sub nomine aquæ & ignis interdictionis continetur, quæ quid sit, consule Brissonum lib. 3. antiqu. cap. 5. & Heinemann lib. 1. antiqu. tit. 16. §. 10. Hæc tamen interdictio frequentissima fuit temporibus reip. sed rarius adhibita sub Cæsaribus: nam cum Augustus deportationem invenisset, frequentius hæc adhiberi coepit, non alia de caussa, quam ut exules non libere vagarentur, sed inclusi in quadam insula viverent. Ab exilibus tamen & deportatis valde distabant relegati: interdicti enim & deportati civitatem amitterebant l. 6. D. eod. relegati vero retinebant l. 7. §. 2. & 3. D. eod. ubi ait Ulp. sive *ad tempus*, sive in *perpetuum* quis fuerit relegatus. Hinc alterum dignoscitur discrimen, quod deportati perpetuo exilio mulctabantur, relegati vero saepe ad tempus. Item deportationem semper sequebatur bonorum publicatio; contra tamen observatum est in relegatione, in qua bona non omnia publicabantur, sed pro parte, imo nec aliter, quam si relegatio fieret in *perpetuum*, ac specialiter pars bonorum publicaretur l. 14. §. 1. D. eod. Pulchre igitur Ovidius lib. 5. Trist. eleg. 11.

*Nec vitam nec opes nec jus mibi civis
ademit,*

*Nil nisi me parriis jussit abesse focis.
Ipse relegati, non exulis utitur in me
Nomine*

Effectus autem mediæ capitinis deminutio-
nis est, ut etiam morti comparetur: di-
ferte enim inquit Ulp. in *l. 63. §. 10. D.*
pro soc. intereunt autem homines maxima-
aut media capitinis deminutione, aut morte:
id tamen non in omnibus casibus absolute
verum est, ut in maxima capitinis deminu-
tione: deportatus enim civitati tantum inte-
ribat, non libertati; quare habebatur quando-
que loco mortui, quandoque non habebatur:
nam si jura civilia spectes, veluti jus succe-
dendi, patriæ potestatis, tutelarum & similia,
habebatur pro mortuo, sed in aliis ad **Jus**
Gentium spectantibus, non item: poterat enim
in loco, quo deportatus erat, emere, ven-
dere, & similia exercere, quæ sunt **Juris**
Gentium *l. 15. D. de interd.* *O. relegat.*
imo & adquirere, ut ex *d. l. 15.* patet, &
ex *l. 48. §. 1. D. de J. Fisc.* & quamquam
testamenti factionem non haberet, si quid
tamen legatum ei erat ad vietum, aliosve
usus necessarios, capere poterat ex rescri-
pto

pto M. Antonini l. 19. D. de interd. & relegat.

Reliquum est, ut de minima capitis deminutione differamus. Hæc quidem est ex sententia Justin. in §. 3. b. t. cum & civitas & libertas retinetur, sed status hominis privatus commutatur, cum sc. qui prius sui juris erat, alieno juri per adrogationem subjicitur, vel contra qui sub patria erat potestate, per emancipationem sui juris evadit. Sed an revera per emancipationem minima capitis deminutio hodie contingat, disputant Veteres & Recentiores. Paulus in l. 3. §. 1. D. de cap. minut. affirmat, ea ferme ratione: *cum emancipari nemo possit, nisi in imaginariam servilem cauffam deductus*. Negant Huberus in *Prælect. ad b. tit. Instit.* & Heineccius lib. 1. *antiq. tit. 16. §. 12.* quia sublati jam mancipationis & manumissionis solemnibus, emancipatione status familiæ hodie non mutatur, idcirco nullo sensu capit is deminutio, sed simplex resolutio patræ potestatis appellanda est. Quicquid vero de hac re sit, effectus minimæ capitis deminutionis is est, ut qui in familiam alienam per adrogationem transeunt, vel per emancipationem e propria discedunt, amittunt

O 3 tuit

tunt familiam & omnia adgnationis jura . Mutatur igitur tantum privatus hominis status , non autem publicus : negat enim Paulus *l. 5. §. 2. D. eod.* per hanc interverti jura publica ; idque dupli ratione , partim quia absurdum foret jura publica pendere a negotiis privatorum , partim quia ad munera publica & civilia omnes tenentur cives , sive hujus sive illius sint familiae . Quare qui minimam subit capitis deminutionem , non desinit esse Magistratus , Judex , Senator , tutor *l. 6. D. eod.*

Hæc de tria capitis deminutione , quæ statum sive conditionem mutat , quam homo habet a libertate , civitate & familia : extra quas nulla potest contingere capitis deminutio . Quare Senatorem , cum ordine mouetur , capite minui negant Modelinus in *l. 3. D. de Senat.* & Justin. in *§. 5. b. s.* quia dignitatem mutat , non statum . Idem dicimus de servo , cum manumittitur , quia nunquam habuit caput , id est , nunquam habuit jus aliquod vel a libertate , vel civitate , vel familia *§. 4. b.s.* Demum quod ait Justin. in *§. 6. b. s.* pugnare videtur cum *§. ult. preced. sit.* nam ibi dicitur cognatio nullo Jure Civili dirimi posse : heic vero traditur per maximam

mam & medium capitis diminutionem tolli. Verum omne amovetur dubium , si cognationem heic accipiamus pro ejus effectu civili , vel cum Justin. in d. §. 6. pro jure cognationis , quod in hereditatibus , bonorum possessionibus , tutelisque consistit: haec namque jura maxima & media capit is diminutione tolluntur . Hinc dicitur in l. 2. §. 1. D. ad S. C. Tertyl. mater non posse succedere filio servo facto , quia mater esse desit . Ita de Regulo marito captivo fatur Horatius lib. 3. od. 5.

*Fersur pudicæ conjugis osculum ,
Parvosque natos , ut capitis minor ,
A se removisse , & virilem
Torvus humi posuisse vultum.*

At ipsam necessitudinem naturalem & sanguinis jura , quæ a natura proficiuntur , ratio civilis corrumpere non potest , teste Pomponio in l. 8. D. de R. J. Ceterum quod habet Justin. in §. 7. b. 1. credit , quod sicuti ad successionem legitimam non omnes adgnati , sed qui proximior gradu sunt , vocantur , ita & ad tutelam ; & si plures ejusdem gradus sint , ad omnes pariter sicut hereditas , ita & tutela pertinet .

De Legitima patronorum tutela.

Ad tit. XVII. Instit. b. l.

Opime monet Ulp. in *l. 6. §. 1. D. de V. S.* verbum illud *ex legibus*, quoties occurrit, non solum ex verbis, sed ex legum etiam sententia accipiendum esse, cum scire leges, sit non solum *earum verba tenere, sed etiam vim* *et potestatem*, ait Celsus in *l. 17. D. de LL.* Ita cum Justin. ait in *princ. b. r. ex eadem lege*, id ipsum indicare videtur, nempe legitimam patronorum tutelam non ex verbis legis XII. Tabb. quæ de adgnatis tantum disertis verbis locuta fuit, sed ex ejusdem sententia per logicam Prudentum interpretationem derivatam esse; nam sicuti voluerunt Decemviri liberto intestato mortuo, suisque heredibus deficientibus, vocare ad ejus hereditatem patronum, patronive liberos, eadem ratione ad liberti pupillitutelam ab intestato patronum ejusve liberos vocasse, videntur ex illa Juris regula, quam heic tradit Justin., *quia plerunque, ubi successionis est emolumentum, ibi* *et*

Con tutelæ onus esse debet. Non inconsulto tamen addit idem Imp. verbum plerumque, quemadmodum & Q. Mucius in *l. 73. §. 1. D. de R. J.* illa verba: *nisi cum feminæ heredes intercedunt*; nam si adsit patrona, tunc regula deficit, & licet ipsa ad hereditatem vocetur, aliis tamen erit tutor, quia tutela civile munus est, a quo removentur feminæ *l. 2. D. de R. J.*

De Legitima parentum tutela.

Ad tit. XVIII. Instit. b. l.

Exemplo patronorum recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima heic vocatur a Justin. nam *si quis filium, aut filiam, nepotem, aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipaverit, legitimus eorum tutor erit*, ait Imp. in *b. tit. Ulp. 73. §. ult. D. de legit. tut. docet*, *cum vicem legitimi tutoris subfinere, & alibi in Fragm. tit. 11. §. 5. rectius fiduciarium tutorem appellat*. Postquam enim patronus exemplo adgnatorum ad tutelam liberti admissus fuit, eodem modo pater in-

instar patroni ad tutelam filii, vel nepotis emancipati Prudentum interpretatione vocatus est, hoc tamen discrimine, quod patroni tutela, ut profecta ex mente legis XII. Tabb. legitima appellata est *l. i. D. eod.* contra parentis tutela, quia venit magis ex contracta fiducia, dicitur proprie pater *substituere vicem legitimis turoris*, idcirco *fiduciarius tutor* proprie vocatur.

De Fiduciaria tutela

Ad tit. XIX. Instit. b. l.

Quemadmodum extinto patrono ejus filii ad liberti impuberis tutelam vocatur, ita extinto patre, qui ad exemplum patroni ad filii impuberis emancipati tutelam admissus est, ejus loco ad eamdem tutelam succedunt filii, sc. fratres emancipati impuberis, modo perfectæ sint ætatis, nimirum viginti quinque annis maiores. Hæc autem tutela fratum vocata proprie est *tutela fiduciaria*, cum pater jam *legitimus tutor* appellaretur, ut recte heic animadvertis Janus a Costa. Sed video ex

Tit. XX. De Atiliano tuteore, &c. 219

ex constitutione Anastasii in l. 4. C. de legit. tut. desisse hæc fiduciaria tutela: quoniam Anastasius, quemadmodum fratres ad legitimam hereditatem, ita quoque ad tutelam emancipati fratri nominatim vocavit; ideoque hodie non fiduciarii, sed legitimi dicendi sunt tutores.

De Atiliano tuteore, & eo qui ex L. Julia & Titia dabatur.

Ad tit. XX. Instit. b. b.

§. I.

De origine tutelæ Atilianæ ejusque fato.

Ad princ. & §. III. IV. & V. Instit. b. t.

Testamentariam & legitimam excipit tutela dativa, quæ proprie *Atiliana* vocatur ex L. Atilia sive potius Plebiscito lato A. U. 443. a L. Atilio Regulo Trib. Pleb. quo facultas nominatim Prætori cum majore Tribunorum parte concessa est, ut qui-

quibusdam in casibus & in Urbe tantum tutores darent impuberibus *princ. b. t.* antea enim nullus Magistratus jure proprio & vi jurisdictionis & imperii tutores pupillis dare poterat *l. 6. §. 2. D. de tutel.* etiam si deficerent tutores testamentarii & legitimi. Hinc tutores a Magistratu dati dicti sunt *Atiliani* & *dativi* ex formula, qua uti Prætores consueverant: *do tutorēm Cajum*, ceu refert Briffonius *lib. 5. de formul.* At quoniam L. Atilia prospectum est, ut Romæ tantum tutores a Prætore darentur, secuta est lex Julia & Titia lata sub Augusto A. U. 722. qua etiam consultum est, ut Præsides darent in Provinciis, ut in *princ. b. t.* Quapropter optime ait Ulp. in *d. l. 6. §. 2. tutoris datio neque imperii est neque jurisdictionis, sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit vel Lex, vel Sētum, vel Princeps.*

Verum postea hæ leges non unam subiere mutationem, quia ait Imp. in §. 3. *b. t.* ex his legibus desuisse pupillis tutores dari, postquam cœperunt Consules ex constitutione Claudi extra ordinem pupillis utriusque sexus tutores dare ex inquisitione. Postea D. Marcus, Oratione in Senatu habita, *Prætorem Tuscularem* primus instituit, teste

teste Capitolino in ejus vita cap. 10. Movit D. Marcum, ceu indicat Imp. in d. §. 3. quod supradictis legibus Atilia, Julia & Titia neque de cautione a tutoribus exigenda rem salvam pupillis fore; neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem quidquam cavebatur. Verum subjicit idem Justin. in §. 4. b. t. moribus & consuetudine obrogatum fuisse Orationi D. Marci, ita ut Romæ Prætor, aut Præfetus Urbi tutores darent, in Provinciis autem Præsides. Amplius scribit Ulp. in l. 3. *D. de tut. & curat. dat. jus dandi tutores ex concessione D. Marci esse datum omnibus Magistratibus Municipalibus, et si non alias, quam ex præcedente præcepto Præsidis l. 46. §. 6. D. de admin. tut. vel ut ait Justin. in d. §. 4. iussu Præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates, id est, si Præsidibus non viderentur magnæ, ut explicat Cl. Noodt lib. 2. de Jurisd. & Imp. cap. 8. Sic usque ad Justin. qui id in partem mutavit §. 5. b. t. l. 39. C. de Episcop. audiens. jubens, si pupilli facultates valeant usque ad quingentos solidos; non expectata iussione Præsidum, Defensores civitatum singularum, qui & Syndici a Græcis dicuntur, quorum erat officium instar*

Tri-

Tribunorum Pleb. tueri jura cujusque civitatis adversus Magistratus *l. unic. C. de offic. Jurid. Alexand.* una cum ejusdem civitatis religiosissimo Antistite, vel quosvis alios Magistratus tutores vel curatores creare, legitime tamen cautela præstanta eorum periculo, qui eam accipiunt; qua de re infra agemus.

§. II.

Quibus in casibus datur locus tutelæ dativæ.

Ad §. I.II. & reliquos Insit. b.t.

Diximus de iis, qui tutores dare possunt, dicamus nunc de modo, quo dare debeant, & quibus in casibus. Primo observandum est tutorem a Magistratu dari non debere, nisi pure, nulla temporis vel conditionis adjectione, eo quia datio tutelæ a Magistratu facta, est actus legitimus, qui neque diem neque conditionem palam adjectam recipit *l. 77. D. de R. J.* Quare si tutor sub conditione vel ad certum tempus datys fuerit, datio non valebit. Secundo a Magistratu creandi sunt tutores ex inquisitione; quæ ex sententia

Her-

Hermogeniani in *l. 7. §. 1. D. de confirm. tut.* versatur in expendendis personarum circumstantiis, tutoris moribus, & similibus: quapropter hæc tutelæ datio requirit cauſſæ cognitionem, & ut pro tribunali decretum interponatur *d. l. 7. §. 1.* Tertio ait Imp. in *§. 4. b. s.* quod Prætor, aut Præfectus Urbi debet dare tutorem *secundum suam jurisdictionem*, sc. pro loco, intra quem ea exercetur: quod de Prætore, & Præfecto Urbi dixit Justin. idem de Præside Provinciæ & de Magistratu municipali ait Ulp. in *l. 1. §. ult.* & *l. 3. D. de tuteor.* *Curat. dat.* Circa cauſſas vero, in quibus dandi sunt tutores a Magistratu, hæc regula prodita est a Justin. in *princ. b. s.* *si cui nullus omnino tutor fuerat*, id est, nec testamentarius nec legitimus, tunc ei dabatur tutor a Prætore; quia regula est, habenti tutorem non dari tutorem alium *l. 27. D. de testam. tutel.* Quid si testamento datus sit tutor sub conditione vel ex die? tunc quia tutor testamentarius nondum est tutor, nec contra tutelæ legitimæ fit locus, donec speratur testamentaria, placuit, ne medio hoc tempore pupillus defensore careat, alium esse dandum, qui cessat adveniente die vel condicione *l. 11.*

D. cod.

D. eod. Idem intellige, si hereditas nondum adita sit, ex qua tutor speratur, interim alius etiam dandus est tutor quasi tutor testamentarius nondum sit, nec speretur §. 1. b. t. l. 10.
D. eod. quod perinde obtinet, si tutor captus sit ab hostibus: donec enim in potestate hostium manet, a Prætore alius datur tutor, qui desinit esse, si testamentarius ab hostibus redierit; quia jure postliminii tutelam & omnia pristina jura recuperat §. 2. b. t. Hæc quidem vera sunt, si duret adhuc spes tutelæ testamentariæ. At si conditio testamenti defecerit, vel hereditas adita non fuerit, aut testamentarius tutor apud hostes decesserit, tunc cessat tutela dativa, & legitima locum habet.

De Auctoritate tutorum.

Ad tit. XXI. Instit. b. l.

PRÆCIPUA autem tutelæ pars, si ad negotia pupillaria spectes, est bonorum pupilli administratio, quemadmodum & pars administrationis est tutorum auctoritas, de qua agitur in *b. tit.* Est tutoris aucto-

auctoritas expressa adprobatio ejus , quod gerit pupillus *l. 3. D. b. t.* quæ sane tunc locum habet , cum pupillus vel infantia vel pubertati proximus aliquod gerit negotium , præsente & probante tute: olim enim moris erat , ut ipsi pupilli in ea etiam ætate omnia gererent negotia sua , auctore tutorē . Dixi *infantia vel pubertati proximum* ; nam si is septennio minor & infans sit , nullum negotium etiam cum auctoritate tutoris gerere potest , eo quia non intelligit , quod agit , sed per tutorem gerere vel agere dicitur *l. 1. §. 2. D. de admin. tutor.* Hæc quidem auctoritas non erat nuda adprobatio , sed actus legitimus , ideoque solemni modo & formula explicandus : quare non recipiebat conditionem *l. 8. D. b. t.* neque per procuratorem interponi poterat : hinc distinguitur *auctoritas a consensu* : consensus proprius est curatoris ; auctoritas vero tutoris : hæc recipit solemnitatem , ille nullam *l. 1. §. 13. D. ad Sct. Trebel. l. 19. D. b. t.* quapropter recte in Pandectis hoc modo concepta est rubrica , *de Auctoritate & consensu tutorum & curatorum*.

Quæritur nunc , quando tutoris auctoritas pupillo gerenti necessaria sit ? & sane

Tom. I. Lib. I.

P

non

non in omnibus negotiis illa opus esse, docet Imp. in princ. b. 2. est enim ei necessaria, quoties suam conditionem facit deteriorem; secus vero, ubi facit meliorem, veluti si ab alio ei donetur, vel remittatur aliquid l. 2. D. de accep*s*i*l*. Contra si agat, quo obligetur, aut jus suum amittat, imminuat, alienetve, non valet, nec pupillum tenet, licet is, qui cum pupillo contraxit, ei teneatur l. 9. D. b. 2. qua de re sunt exempla in mutuis obligationibus, veluti emptione & venditione, ac similibus, quibus in caussis, et si pupillus sine auctoritate tutoris se alteri non obliget, alter tamen pupillo obligatur princ. b. 2. Eadem ratione pupillus, ne hereditatem quidem adire sine tutoris auctoritate potest l. 8. D. de adqu. bered. et si lucrosa sit, nec ullum damnum accipiat §. 1. b. 2. eo quia heres adeundo hereditatem obligatur creditoribus hereditariis & testamentariis. Demum non semel observatum est apud Juris Auctores, quod si contrahendo pupillus sine auctoritate tutoris, factus sit locupletior, quamquam Jure Civili non teneatur, receptum tamen est ex rescripto D. Pii, ut possit utili actione conveniri l. 5. §. 1. D. b. 2. naturalis enim

enim æquitas non patitur , ut quis meliorum suam conditionem faciat cum alterius detrimento .

Expendendum in præsenti est , quibus in cauſſis , quomodo , & a quibus , interponenda sit auctoritas . Quoad cauſſas , probat Justin. in *l. 4. C. de auctor. præſt.* tum in civilibus , tum in criminalibus cauſſis præſtari oportere : tantum interdicitur tutori , ne eam præſtet in rem propriam *l. 1. O. 7. D. b. t.* quod intellige , si fiat directo , secus si per consequentias , ut est exemplum in *d. l. 1.* ubi tutor non prohibetur auctoritatem adcommodeare pupillo adeungi hereditatem sui debitoris : nam quamvis pupillus per hoc fiat ejus debitor ; id tamen accidit per consequentias , cum directo auctoritas adcommodeetur ad hereditatem adeundam . Præterea vult Cajus in *l. 9. §. 5. D. b. t.* & ex eo Justin. in *§. 2. b. t.* ut statim in ipso negotio tutor præſens auctor fiat : nam post tempus , aut per epistolam interposita nihil valet auctoritas . Huc pertinet insignis illa Juris regula , *quod ab initio vitiosum est , non potest tractu temporis convalescere ,* observante Jac. Gothofredo in *l. 29. D. de R. J. Præſentem* intelligimus ex Juliano

in l. 14. D. b. t. non solum corpore , sed etiam animo , nempe ut intelligat tutor , quod agitur , nec invitus per vim detineatur . Adhuc requiritur ex ejusdem Caji sententia , ut interponatur auctoritas statim in ipso negotio : nam ex intervallo post perfectum negotium interposita , non valet . Hinc discri- men dignoscitur inter consensum curatoris , & auctoritatem tutoris : auctoritas enim statim interponenda erat perfecto negotio ; consensus autem interjecto tempore accede- re poterat , quia actus legitimus non erat . Vide Heineccium lib. I. antiqu. tit. 24. §. 4.

Demum quæsum est , si plures sint tu- tores , utrum omnes auctores fieri debeant ? antiquitus sane in legitimis tutoribus ne- cessaria putabatur omnium auctoritas ; in testamentariis & dātivis unius sufficiebat . Postea Justin. in l. ult. C. de auctorit. præst. constituit , ut in omnibus semper unius sufficeret auctoritas . Quod ultimo tradit Justin. in §. 3. b. t. de curatore a magistratu dando pupillo , qui cum tutorē proprio litem exercet , hodie locum non habet ex Jure novissimo , quo pupilli de- bitor , vel creditor , vel is , quem cum pu- pillo litem habiturum , suspicio est , tutor fieri non potest Novel. 72. cap. I. No- vel.

*vel. 94. Autem minoris debitor C. qui
dar. tutor.*

Quibus modis tutela finitur.

Ad tir. XXII. Instit. b. l.

HAec tenus de modis tum constituendæ, tum gerendæ tutelæ egerit Justin. ad modos, quibus tutela finitur, in præsenti titulo gradum facit. In primis finitur tutela, cum pupillus, pupillave jam puberes facti sunt. Quo autem modo pubertas esset æstimanda, utrum ex numero annorum, an ex habitu corporis, olim inter veteres J&tos dissidium fuit, teste Ulp. in *Fragm. tit. 11. §. 28.* placuit enim Proculianis pubertatem definiri ex duobus septenariis numeris completis in marib⁹: quæ fuit etiam sententia Hippocratis Medicorum principis, & Stoicorum: in feminis vero, quia biennio maturius pubeſcunt, ex duodecim annis expletis. Sabiniani contra ex habitu corporis, & ex pube dignoscendam existimabant, ideoque nudatum adspici corpus volebant. Priscus.

P 3 ta.

tamen Javolenus utrumque requirebat. In tanto Veterum dissidio, quæ sententia usu recepta fuerit ante Justin. qui illud omnino substulit, disputant adhuc Interpretes. Quicquid vero sit, certum est, Justin. tum in princ. b. 2. tum in l. unic. C. quand. tuor. rejecta Sabinianorum sententia, illam Proculianorum confirmasse.

Non solum pubertate tutela finitur, sed etiam capitis deminutione tam in pupillo, quam in tutori §. 1. & 4. b. 2. hoc tamen discrimine, ut in pupillo pereat omni capitis deminutione, maxima, media, & minima; qua de re adfert Justin. exemplum in d. §. 1. b. 2. ex Ulp. in l. 14. D. de tutel. In tutori vero non nisi maxima & media, quibus publicus hominis status mutatur; minimam autem negat Paulus in l. 7. D. de capit. minut. tutelas tollere; quod de dativa & testamentaria accipiendo moneo, non autem de legitima, quæ procul dubio per minimam perit §. 4. b. 1. pari modo ac hereditas legitima. Quamquam vero hæc ita sese habeant, & per se facilimā sint, locus tamen Pauli in d. l. 7. difficillimus visus est, atque Interpretibus magnum facessit negotium: inquit enim Iesus: *rueclam etiam non amittit*
capi-

*capitis minutio, exceptis bis, quæ in jure alieno positis personis deferuntur: hæc inquam, posteriora verba, quid proprie dentent, non liquet: quare ab Interpretibus variæ tentatæ sunt interpretationes; quibus tamen omnibus libentius præferam, quam huc adfert Ever. Otto, utpote simplicior rem: ita enim Paulum explicat: *capitis minutio, quæ salva civitate accidit, non perimit tutelas, exceptis bis, quæ adgnatis proximioribus ex L. XII. Tabb.* deferuntur: *bi enim si in in jure alieno per adrogationem positi fuerint, desinunt esse tutores, quia desinunt esse adgnati, familia mutata.* Hodie tamen sublata Jure novissimo differen tia adgnationis & cognitionis, minima capitis minutio in tute tutelam non per mit; quia jure cognitionis ei deferri potest.*

Præterea finitur tutela morte pupilli §. 3. b. s. sed morte tutoris pupillus a tutela non liberatur, quia succedit in defuncti locum vel legitimus, vel dativus. Eodem modo si usque ad certam conditionem vel tempus testamento datus sit tutor, æque evenit, ut desinat esse tutor existente con ditione, vel finito tempore §. 2. &c. b.s. *Omnibus igitur his modis tutela ipso ju*

re finitur. Sed præter istos sunt & alii duo §. 6. b. t. justa nempe tutoris excusatio, & suspecti crimen, quibus non ipso jure, sed decreto Magistratus tutela finitur; quia in his requiritur caussæ cognitio, & interpositum pro tribunali decretum. Sed de his modis agitur in tit. 25. & 26. b. l.

De Curatoribus.

Ad tit. XXIII. Instit. b. l.

§. I.

De curæ differentiis a tutela, ejusque definitione & divisione.

Ad princ. & §. I. & II. Instit. b. t.

Cum Justin. in tit. XIII. de tutelis divisionem personarum sui juris hoc modo instituerit, ut aliæ sint sub tutela, aliæ sub cura, postquam de tutelis haecenus differuerit, ordine igitur ad curationes transit. Differunt quidem in multis Juris articulis curatores a tutoribus, easque differ-

ren-

rentias notavit in primis Modestinus *lib. 7.*
different. & in *l. 20. D. de tut.* *O curat.*
dar. latius tamen exposuit Cujacius *lib. 17.*
obser. *cap. 7.* nonnullas vero Justin. in
hoc *tut. XXIII.* attingit. Prima autem
differentia est, quod tutor datur personæ,
curator rebus. Hinc tutor certis rebus da-
ri non potest; quia cum datur personæ,
quæ individua est, universo patrimonio da-
tus intelligitur §. 17. *infr. de excusat. tut.*
curator enim, quia datur rebus, quæ di-
viduæ sunt, certis rebus vel caussis dari
potest §. 2. *b. 1.* Altera differentia ex eo
venit, quod tutor testamento datur, non
curator, quia lex XII. Tabb. de tutela,
non de curatione loquitur: quare patri jus
non est filio suo puberi testamento curato-
rem dare, & si dederit, inutilis est *actio*,
eoqué Prætoris eget confirmatione §. 1. *b. 1.*
l. 1. §. 3. *D. de confirm. tut.* *l. 2. C. eod.*
Tertiam vero in eo positam habemus,
quod in actibus legitimis a pupillo expe-
diendis, veluti in aditione hereditatis, tu-
toris auctoritas, quæ & ipsa solemnis actus
est, non curatoris intervenire debet, ut
diserte tradit Modestinus in *l. 17.* §. 1. *D.*
de appell. & Paulus generaliter ait in
l. 19. *D. de auct. tut.* *sed ad ea, quæ*
so-

solemnitatem Juris desiderant, explicanda, ratoe auctore opus esse. Quarto differt tutor a curatore, quod tutor conveniri nequeat actione tutelæ ad reddendas administrationis rationes, nisi finita tutela l. 4. *D. de tutel. & rat. distrab.* curator autem etiam durante administratione conveniri potest l. 26. *D. de administr. tut.* l. 16. §, ult. *D. de tutel. & rat. distrab.* Multæ quoque aliæ differentiæ notari possunt, sed consule Cujacium *cit. loc.*

Nunc quid sit cura, quæque ejus divisio, explicari oportet. Cura igitur definiri potest *vis. & potestas in capite libero ad syenda bona ejus, qui pubes factus propter minorem ætatem, aut major ob animi vel corporis vitium rebus suis superesse non potest.* Hinc patet, cutam proprie locum non habere, nisi in minoribus, nec non etiam majoribus animi, vel corporis vitio laborantibus: hi enim vel propter lubricum ætatis, vel propter vitium animi, vel corporis, veluti sunt furiosi, prodigi, mente capti, muti, surdi, & similes, rebus suis superesse non possunt. Præter istas personas nonnullis de cauissim etiam pupillis curatores dantur: quare factum est, ut alia sit cura minorum, alia majorum morbo ani-

animi vel corporis laborantium , alia de-
mum pupillorum . De singulis igitur agit
Justin. in *b. tit.* & a minorum cura exor-
dium sumit ; cuius origo inquirenda in pri-
mis est .

Præ ceteris scire oportet , minores in Ju-
re dici , qui puberes facti , ætatis annum
XXV. nondum expleverint : quoniam mi-
nor ætas ad XXV. annum expletum defi-
nitum primum fuit lege Lætoria lata A. U.
490. a M. Lætorio Trib. Pleb. ideo di-
cta a Plauto *Pseudol.* 1. 3. *vers.* 68. *lege*
quinavicensaria : crediderunt enim Romani
Hippocratis sententiam secuti , ante id
tempus non compleri virilem vigorem ,
animumque propter humores in corpore
nondum confidentes adhuc incertis jactari
consiliis *l. i. §. 2. D. de minor.* ideo ma-
jor ætas , quæ completis viginti quinque
annis contingit , *status* appellatur in *l. 77.*
§. 14. D. de legat. 2. quia finis jam cre-
scendi est : quare a Jætis dicitur *plena* ,
perfecta , & *legitima ætas* : Lege igitur Læ-
toria cœtum primum fuit , ut Prætor iis
minoribus curatorem daret , qui nominati-
tim postularent , & caussam probarent .
Verum hac lege non plene minoribus pro-
spectum fuit , quorum semper fragile judi-
cium

cium est , cum non omnibus , sed quibusdam , caussam tamen probantibus dari voluerit : quisimo hujusmodi curatoris datio cum causæ cognitione eorum quodammodo lædebat existimationem , quia sub curatore esse , homini ingenuo & sanæ mentis opprobriosum habebatur *I. 2. D. si a parent. quis manum.* Hinc M. Antoninus Philosophus consultum duxit , ut omnes minores , salva tamen existimatione , ob minorem æstatem curatores acciperent , caussa non cognita , teste Capitolino in *Vit. Marc. cap. II.* quemadmodum testatur etiam Justin. in *princ. b. t.* Attamen idem Imp. videtur sibi contrarius , cum in §. 2. *b. t.* addit illa verba : *item inviti adolescentes curatores non accipiunt* ; quasi indicaret , non omnes adolescentes , sed tantum volentes ; cum contra D. Marcus statuerat , ut omnes , qui res administrandas haberent , curatores omnino acciperent : quare Rævardus *lib. I. var. cap. 17.* inscitiae arguit Justin. confudentem legem Lætoriam cum constitutione D. Marci .

Sed Rævardo plene satisfecit Cl. Noodt , qui in *Comm. ad tit. D. qui pet. tutor.* omne amovet dubium : putat enim D. Marcum voluisse minoribus , non exemplo furio-

furiōsorum, aut prodigorum, quod opprobriōsum erat, sed propter etatē curatores dari, sed non aliter, quam ipsi postulantibus, nec alios curatores, quam quos ipsi petendo nominassent: cum contra furiosis & prodigiis darentur curatores, non ipsi, sed aliis potentibus, probato furore, aut luxuria: atque hoc modo minores videntur salva existimatione & non inviti accipere curatores, cum ipsi sibi petant, & eos accipiunt, quos petendo nominarunt: atque in hoc distat cura minorum ab illa furiosorum aut prodigorum. At ut omnes minores omnimodo curatorem acciperent, inventit D. Marcus modum, quo accipere cogerentur: nam constituit, ut non prius rerum suarum administrationem reciperent a tutoribus, quam petitis constitutisque curatoribus, nulla probata causa *l. 33. §. 1. D. de admin. tut. l. 1. §. ult. D. de minor.* quod sane discriminē indicat inter D. Marci constitutionem & legem Lætoriam. Quamquam vero haec sit regula in cura minorum constituenda, adest tamen exceptio ab ipso Justin. tradita in *d. §. 2. b. t.* ut nempe minores sive agant, sive conveniantur, detur ipsis curator ad litem, etiam invitis: siquidem cum minor sine curatore in

in judicio stare nequeat ; ne igitur judicium elusorium fiat , ei curatore opus est : quare si ipse sibi non petat , permittitur adversario in jure adire Prætorem , ibique nominare aliquem , & petere minori , etiam invito curatorem dari *I. l. 7. C. qui pet. sus. l. 7. §. 2. D. de minor.*

§ II.

*De cura furiosorum , prodigorum
et similium.*

Item de cura pupillorum .

Ad §. III. IV. V. et VI. Inst. b. t.

Hactenus de cura minorum , nunc de curatoribus furiosorum , aut prodigorum , ceterarumque personarum , quæ in ea causa sunt , ut rebus suis superesse non possint , differendum est . Hujus quidem curæ originem , furiosorum , inquam , & prodigorum , moribus tribuit Ulp. in *I. l. 1. D. de curat. furios.* quo indicare vult , jam ante leges XII. Tabb. moribus receptam esse , licet postea a Decemviris confirmata fuerit , idcirco legitima appellatur .

Ha-

Habebat tamen locum in furiosis , prodigiisque illis , qui Jure Civili ab intestato parentibus heredes erant , ut ex quodam loco Ulp. in *Fragm. tit. 12. §. 3.* probat Jac. Gothofredus in *Tab. V. LL. XII. Tabb.* Sed qui sint furiosi , quique prodigi , primum explicari oportet . In Jure aperte distinguitur furiosus a demente , sive mente capto , ut patet ex §. 3. & 4. b. 2. & l. 2. *D. de inoffic. testam.* quemadmodum separatur furor a dementia in l. 6. *D. de curat. furios.* & passion alibi . Dementiam autem interpretatur Cicero *lib. 3. quaest. Tuscul. cap. 5.* affectionem lumine mentis carentem , inconstantiam sanitatem vacantem , cum non integra mens est & sana : ructur tamen mediocritatem officiorum , & vitæ communem cultum atque usitatum . Furorem vero esse ait montis ad omnia cæcitatem . Differt etiam dementia a furore , quod dementia est mentis exilium perpetuum . Sed furor quandoque est morbus perpetuus , quandoque dilucida habet intervalla , vel cessaturus speratur l. 24. §. 4. *D. qui testam. fac. pos. l. 9. C. eod.* Ad rem notat idem Gothofredus ex eodem Cicerone *cit. loc. legem XII. Tabb. de furore locutam* esse , non de dementia . Prodigii contra sunt

ii , qui nullum impensarum modum ser-
vant , sed ita bona paterna , avitaque ne-
quitia sua disperdunt , ut se suosque libe-
ros ad egestatem perducant , eoque sunt
furiosis similes ; nam ut eleganter rescripsit
D. Pius apud Ulp. in l. 12. §. 2. D. de-
runt. & curat. dat. hi tales sunt , ut quod
ad ipsorum bona pertinet , furiosum faciunt
exitum .

Voluit igitur lex XII. Tabb. ut furiosi
& prodigi , etiam maiores ipso jure adgnati-
torum , gentiliumque curationi subessent ,
ut tradit Ulp. in *Fragm. tit. 12. §. 2.* Sed
postea usu & consuetudine obtinuisse , ad-
firmat Justin. in §. 3. b. s. ut Magistra-
tus caussa cognita curatores eis darent ex
inquisitione , plerumque tamen adgnatos ,
nisi hi forte essent inhabiles l. 13. D. de-
curat. furios. l. 5. C. eod. Idem in prodi-
gis observatum accepimus ; ut non antea
eis curator constitueretur , quam caussa
cognita , bonorum eis administratio a Præ-
tore interdicta esset l. 1. & 10. D. eod.
Præter furiosos & prodigos , quorum cura
legitima est , utpote a lege XII. Tabb.
descendens , sunt & aliæ personæ , quibus
ex Edicto curator a Prætore datur , atque
hujusmodi cura *bonoraria* appellatur & da-
tiva :

tiva: hinc illa divisio in *dativos & legitimos* curatores. Ita Prætor curatorem constituit prodigis libertinis, vel ingenuis, sed qui ex testamento parentis heredes erant, teste Ulp. *cir. loc.* Item dementibus, mutis & surdis, ceterisque morbo pérpetuo laborantibus, quia rebus suis superesse non possunt §. 4. b. s. l. 65. §. 3. D. ad Sct. Trebel. l. 8. D. de tut. C^o curat. dat.

Reliquum est, ut de cura pupillorum quædam dicamus: in quibusdam enim caussis solet etiam pupillis curator dari. Eas autem recenset Justin. in §. 5. b. s. Primo si tutor legitimus, testamentarius vel dativus ad administrationem idoneus non sit, non tamen si fraudulentiter egredit; quo in casu a tutela removetur; tunc quidem curator datur, non alius vero tutor juxta regulam, quam heic tradit Imp. *tutorem habenti, alius tutor dari non potest*: quænam tamen sit vera hujus regulæ ratio, quamquam variæ ab Interpretibus adferantur, mihi autem non liquet. Secundo si tutor ad tempus, non vero in perpetuum onere tutelæ se excusat, puta quia abest caussa reipub. tunc quoque in ejus locum curator datur. Qued

Tom. I. Lib. I.

Q

ultimo traditur in §. 6. b. t. de tutorē vel curatore, qui si aliqua ex caussa impediatur, quominus negotia pupilli administrare possit, & pupillus absit, vel infans sit, tam ex persona pupilli, quam ex persona sua procuratorem ad negotia, vel ad lites constituere nequit, sed auctoritate Prætoris *actorem* in judicio, & *coadjutorē* extra judicium sibi suo periculo adjungere potest, subtilitas Juris Rom. est, quæ magis in novis nominibus, quam in re ipsa consistit. Quare hodie tutori vel curatori procuratorem ad utrumque constituere permittitur, etiam sine decreto, ut optime animadvertisit in d. §. 6. b. t. Ever. Otto.

De Satisfactione tutorum vel Curatorum.

Ad tit. XXIV. Inst. b.l.

TUTORUM, curatorumve satisfactionem, de qua agit Justin. in b. tit. XXIV. rem pupilli vel adolescentis salvam fore, ab Edicto Prætoris suam habuisse originem, pro

pro comperto est, licet postea Principum constitutionibus confirmata fuerit, iisque cautum §. 3. b. t. ut Prætor id efficiat vel mulætæ dictione, vel captis pignoribus, ut omnino eo nomine caveatur: hinc recte in princ. b. t. ait Justin. *cures Prætor, ut & tutores & curatores eo nomine satisfident.* In Jure autem satisfare significat securum facere daris fidejussoribus l. 1. D. qui satisd. cog. Hanc tamen satisfactionem non omnes tutores dare coguntur: ab ea enim sunt immunes testamentarii, quia fides eorum & diligentia, ut in princ. b. t. ait Imp. ab ipso testatore approbata est: quemadmodum & illi, qui ex inquisitione dantur, eadem ferme ratione, quia a Magistratu tamquam idonei electi sunt, vel ut eleganter notat Papinianus in l. 13. §. ult. D. de tut. & curat. dat. fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis. Habet igitur locum partim in legitimis, partim in illis, qui sine inquisitione dantur ab inferioribus Magistratibus l. ult. C. de Magist. conv.

Interdum & testamentarius satisfare solet: nam si pater tutelam diviserit, & uni ex tutoribus administrationem demandaverit, tunc ille gerit, quem pater elegit,

Q 2 cete-

ceteri vero honorarii sunt, id est, honoris causa dati, & non administrant l. 3. §. 1.
 & 2. D. de admin. tut. Si non est divisa, & omnes gerere volunt, permitti eis potest d. l. 3. §. 7. Verum magis expedit pupillo, ut unus praे omnibus eligatur ad tutelæ administrationem, ne per multos tutela spargatur d. l. 3. §. 6. qua in re id potissimum servandum, ut omnibus præferatur, qui satisfactionem offert §. 1. b. r. l. 54. §. 3. D. de furt. & si plures satis offerant, eligatur magis idoneus l. 18. D. de testam. tutel. nemine offerente, is quem major tutorum pars elegit, administrabit l. 14. §. 1. D. de solut. At si tutores dissentiant, ad Prætorem negotium credit, qui partes suas interponere debet, & causa cognita unum eligere d. l. 3. §. 7. Idem quoque obtinet in pluribus tutoribus ex inquisitione datis d. §. 1. b. r. Est tamen animadversione dignum, ut qui satisfare debuit, & non satisfedit, legitimus non fiat administrator, & quicquid gessit nomine pupilli, ipso jure nullum sit l. 3. & ult. C. de tut. qui satis non ded.

Præter satisfactionem, qua pupillorum minorumve indemnitatii consultum est, agit Justin. in §. 2. b. r. de aliis remediis, quibus

bus pupilli minoresve indemnes servari pos-
sunt. Primum est actio tutelæ , quæ datur
adversus tutorem tutelam gerentem , ejusve
heredem , ut reparet damnum , quod pu-
pillo dedit omittendo aliquid , vel com-
mittendo . Quid si plures administraverint ?
distingue , si omnes pro indiviso admini-
straverint , singuli tenentur in solidum *l. 55.*
D. de admin. tut. quod si divisa sit tute-
la a testatore , vel a Magistratu , quisque
pro sua administratione conveniri potest ,
pro alterius vero administratione non uti-
que . At si conventione & voluntate eo-
rum sine Magistratus decreto divisa fuerit ,
placuit singulos in solidum teneri , perinde
ac si tutela non esset divisa *l. 2.* *C. de*
divid. tutel. ne privata conventione pupil-
lo noceatur , dividua facta tutela , quæ re-
gulis Juris individua est . Alterum reme-
diū datur adversus fidejussores , qui pro
tutore fidejusserunt *rem pupilli salvam fore* ,
& singuli quidem tenentur in solidum , si
plures pro uno tutori fidejusserint *l. ult.*
D. rem pupil. salv. for. Tertium competit
adversus tutores honorarios , qui licet non
administraverint , ad ipsos quoque pericu-
lum pertinet . *14. §. 1. D. de salut.* qua-
re excussis prius facultatibus ejus , qui gessit ,

Q 3 ipsos

ipos conveniri oportere , docet Ulp. in
l. 3. §. 2. D. admin. tut. ubi rationem
addit : *dari sunt enim , quasi observatores*
actus ejus & custodes ; ideoque ipsis impu-
tabitur , si ille male administraverit .

Ultimum & subsidiarium datur adversus
eos , qui satisfactionem exigere solent , veluti
sunt *Scribae Prætoris & Praesidis* , vel *Duum-*
viri , aliique Magistratus inferiores : nam
hi si eam neglexerint , aut minus idoneos
fidejussores acceperint , prodita in eos est
ex Scto sub Trajano utilis tutelæ actio ,
qua & subsidiaria appellatur §. 2. b. r.
l. 5. C. de Magistr. conven. quaque etiam
tum ex Prudentium responsis , tum ex *Ora-*
tione D. Pii data est in eorum heredes ,
si lata tamen intercessisset culpa vel dolus
eorum , qui satisfactionem exigunt ; ita ut
nec ea exacta sit , nec idonea . Ceterum
Prætor , aut Praeses hac actione conveniri
nequeunt §. ult. b. r. quia cum tutorem
dant ex inquisitione , idoneum dedisse vi-
dentur , ita ut nec datus satisfactione one-
retur .

De

De Excusationibus tutorum vel Curatorum.

Ad tit. XXV. Instit. b. l.

§. I.

*Quæ sit in usu Juris excusatio,
& quotuplex.*

Ad princ. Instit. b. s.

Cum Principum constitutionibus & præsertim M. Antonini cautum fuerit, ut curæ tutelæque munus publicum esset princ. b. t. cuius hæc est conditio, ut omnes illud subire cogantur, nisi justas fortasse habeant causas & privilegia, quibus se ab illo onere excusare possent: nam tutela & cura proprias & peculiares a ceteris muneribus distinctas excusationes habent l. 15. §. 12. D. b. t. optime itaque Justin. in b. tit. XXV. de tutorum & curatorum excusationibus agere instituit. Verbum autem *excusare* apud Jētos non modo notat causam adferre, cur delatum onus

Q 4 spon-

sponte recusatur, sed etiam cum aliquis nolens & invitus a munere excluditur, & arcetur, ut in l. i. §. 3. *D. de postul.* Hinc orta est apud Interpretes excusationum divisio in *voluntarias* & *necessarias*, quibus alii addunt *mixtas*, partim nempe voluntarias & partim necessarias. De his igitur agit in b. t. XXV. Justin. sed confuse & nullo ordine.

§. II.

De cauſis voluntariis.

*Ad princ. C. §. I. usque ad XV.
Inſtit. b. t.*

INTER voluntarias cauſas prima adcenseatur numerus liberorum: erat enim hoc unum ex præmiis πολυταδίας a lege Julia & Papia concessis, ut tres Romæ, quatuor in Italia, quinque in Provinciis filii patrem ab onere tutelæ vel curæ excusarent, sive effent sub potestate, sive emancipati, dum tamen superstites, non autem defuncti: excipe si in acie occubuerint, pro patria dimicantes; quia etiam vivere creduntur. Item ut sint legitimi & naturales, non

non vero illegitimi l. 2. §. 3. D. b. s.
neque adoptivi l. 2. §. 2. D. de vacat. &
excusat. mun. hi enim non excusant,
modo non sint patri naturali in adoptione
nati. Oportet quoque, ut sint jam
nati, nam qui in utero est, nequaquam
prodest l. 2. §. 6. D. b. t. & quamvis pro
jam nato habeatur, id tamen accipitur,
quoties de commodo ipsius partus quæri-
tur; nam *alii antequam nascatur, nequa-
quam prodest*, diserte inquit Paulus in l. 7.
D. de stat. hom. Nepotes vero ex filio in
potestate constituto etiam profunt avo, non
ex emancipato, quemadmodum nec ex filia,
ceu constat ex princ. b. t. Notandum heic
quoque est cum Ever. Ottone, Romæ tres
filios prodesse, sed iis tantum, qui Romæ
habitant, licet sint provinciales, nequa-
quam civibus Rom. alibi degentibus: nam
loci & domicilii illud beneficium fuit l. 1.
C. qui num. liber. l. 2. C. Tb. de in integr.
refit.

Altera voluntaria excusatio ex D. Marci
rescripto erat administratio Rei Fiscalis,
vel Rei privatae Principis §. 1. b. t. item
tributorum & vectigalium exactio l. 41.
D. b. t. l. 10. C. eod. atque fundi prin-
cipalis conductio l. ult. *C. qui dare &c.*
Sed

Sed hæc immunitas durabat, donec earum rerum administratio gerebatur. Pari modo excusantur, qui caussa Reipub. absunt, veluti sunt, qui legationis munere funguntur, vel Magistratus in Provinciis, Praetores nempe, Praefides, Proconsules, eorumque Legati, milites, & qualitercumque necessitatis publicæ Plebis Romanorum gratia absentes fuerint, inquit Modestinus in l. 10. D. b. 1. Imo isti postquam reversi fuerint, anni habent vacationem, ut ex responso Papiniani docet Imp. in §. 2. b. 1. Hoc tamen intellige de tutela nova, secus illa, quam ante suscepserint: tunc enim et si tempore absentie in locum tutoris curatur detur §. 5. sup. de curat. reversi tamen illico eam suscipiunt, nec anni vacatione gaudent d. §. 2. b. 1. & d. l. 10.

Excusationem quoque merent a novis tantum tutelis, qui potestatem aliquam habent §. 3. b. 1. Sub potestate autem nomine, quamquam in Jure proprio & excellentiore significatu contineantur Magistratus majores tam Urbani, quam Provinciales, quibus imperium competit & potestas l. 215. D. de V. S. quandoque tamen etiam minores Magistratus, qui licet impe-

imperium non habent, minorem tamen
habent potestatem, sive ut in d. §. 3. b. 1.
dicitur, *qui potestatem habent aliquam*, non
uno in loco significari probant Briffonius
lib. 14. de V. S. & Schultingius ad *lib. 5.*
Paul. sent. 11. 5. §. 1. Quapropter jure
merito Ever. Otto in *Tract. de Ædit.*
Colon. cap. 14. §. 1. 2. & 3. refellit Bal-
duinum, Donellum, Vinnium, aliosque,
qui hæc §. 3. verba, *qui potestatem habent*
aliquam, de majoribus tantum Magistrati-
bus accipiunt, exclusis minoribus, eum
proprie de minoribus, veluti Ædilibus tam
Urbanis, quam Municipalibus accipienda
funt: nam observatum est, Ulpianum in
L. 13. §. 1. D. de jurisd. distinxisse maiores
magistratus ab iis, *qui in potestate aliqua*
sunt: & passim alibi *potestatem* appellari
eum, qui licet Magistratus non sit, hono-
rem tamen aliquem, munusve in Repub-
gerit. Quare rescriptum D. Marci, cuius
fit mentio in d. §. 3. b. 1. ad Ædiles præ-
sertim Municipales referendum putat idem
Ever. Otto *cit. loc.*

Præter hæc occurunt varia quoque alia
in seqq. §§. voluntaria excusationis exem-
pla, quæ breviter heic percensere opera
premium est. Primo justè excusat a quarta
tute-

tutela vel cura , qui tria alia tutelarum vel curationum onera substinet , modo haec tres tutelæ vel curæ non sint data opera affectatæ ita tenues , ut a ceteris parata esse possit excusatio §. 5. b. t. l. 5. ¶ l. 15. §. 15. D. b. t. aliquando & una tutela diffusior excusat l. 31. §. 4. D. b. t. quia non tam numerandæ , quam ponderandæ sunt tutelæ . Tria vero tutelarum onera non ex numero trium pupillorum , veluti fratrum , sed pro diversitate patrimoniorum , & rationum confiendarum difficultate computanda sunt d. l. 31. §. 4. Secundo ob impotentiam excusantur pauperes ex rescripto DD. Fratrum §. 6. b. t. Item qui morbo sōntico laborant , ob quem quis rebus suis supereſſe non potest §. 7. b. t. Pari quoque modo ex rescripto D. Pii excusantur , qui rudes litterarum sunt §. 8. b. t. eo quia nequeunt inventarium confiscere , & scriptas reddere rationes l. 7. D. de admin. tut. modo tutela non ita tenuis sit , ut illitteratus & ad negotia solers ei administrandæ sufficere videatur l. 6. §. ult. D. b. t. Tertio ait Imp. in §. 13. b. t. quod major septuaginta annis a tutela vel cura se excusare potest ; nam Jure Rom. cautum erat , ut certa ætas a maneribus per-

personalibus demum excusaret : ita nempe quinquagesimus agnus a militia , sexagesimus a Senatu , septuagesimus expletus a tutela , omnibusque muneribus *l. 3. D. de J. immunit.*

Quarto præstat a tutela vel cura vacationem liberalium artium studium §. 15. *b. r.* Ita Grammatici , id est , humanarum litterarum Professores , vel Poëtarum interpres , ut docet Suetonius *de Illuſtr. Gramm. cap. 4.* Rethores , Sophistæ , Philosophi , Medici , sed qui urbem circumueunt , & medicinam faciunt , ideoque περιοδευται dieti a Modestino in *l. 6. D. b. r.* ut explicat Menagius *Amaen. J. C. cap. 35.* Omnes hi , inquam , immunitate gaudent , sed non aliter , quam probati decreto Ordinis *d. l. 6. & l. 2. C. 5. C. de Profef. & Medic. lib. X.* nec non & intra constitutum a D. Pio numerum sint relati *d. l. 6. §. 2. & d. l. 5. C. eod.* Item si Romæ vel in propria doceant patria , atque sedulo suo munere fungantur , utilesque se præbeant ; alioquin reprobandi sunt , & nulla gaudent immunitate *d. l. 6. §. 4. 5. C. 6.* His omnibus ad censendi sunt Jeti Romæ tantum docentes *d. l. 6. §. 22.* Imo ex constitutione Constantini in *l. 6. C. eod.* omnes

omnes ubique artium liberalium Professores vacatione donati sunt. Quinto justam habent excusationem , qui cum patre pupilli inimicitias capitales exercuerunt , vel ab eo passi sunt status controversiam , quæ illa est , qua vita , vel libertas , vel existimatio hominis attingitur §. 9. 11. ♂ 12. b. t. idque non alia de causa eis concessum , notat heic Vinnius , quam ad evitandam omnem vindictæ suspicionem , quæ eorum existimationi officere posset . At si inter eos reconciliatio intervenerit , nullam habent excusationem d. §. 9. ♂ 12. b. t.

§. III.

De necessariis excusationum causis , ♂ de tempore ♂ forma eas proponendi .

Ad §. XVI. ♂ reliquos Instit. b. t.

HÆc de excusationibus voluntariis : se-
quuntur nuqc. necessariæ , ob quas
etiam inviti tutores dati repelluntur . Pri-
ma est lis cum pupillo super omnibus bo-
nis , vel maxima eorum parte §. 4. b. t.
Sed hac de re egimus supra in §. 3. de
Auct.

Auct. sur. Secunda est minorenitas §. 13. b. s. Tertia militia §. 14. b. s. Quarta adcensemetur furor , dementia , cæcitas , alii- que morbi sotnici l. 1. §. 2. C. 3. D. de turel. Quinta deignum matrimonium , quod non permittit , ut vir uxoris minorennis curam suscipiat , ne fortasse is rationes intervertat §. 19. b. s. l. 2. C. qui dar. sur. Sed hodie maritus plerumque uxoris est legitimus curator.

Hactenus de caussis tum voluntariis , tum necessariis , remanet , ut de tempore & forma proponendi excusationes agamus . Statuit Imp. Marcus , eos qui in Urbe , id est , Romæ habitant , vel intra centesimum ab ea lapidem , sive milliare , se excusare intra quinquaginta dies continuos , ex quo cognoverint , esse tutores datos , cujuscumque sint generis , id est , qualitercumque sint dati l. 13. §. 2. D. b. s. Quod si ultra centesimum milliare habitent , fieri dinumerationem viginti millium diurnorum , & amplius triginta dierum . Sed cum hoc in constitutione Marci obscurum esset , substulit difficultatem ex ejus mente Gerbidius Scævola , dicens eam dinumerationem ita ineundam esse , ne pauciores sint dies , quam quinquaginta §. 16. b. s. d. l.

d. l. 13. §. 2. sed & plures interdum esse possint: quod quidem clare exposuit Theophilus in *d. §. 16. b. t.* Finge, abest quis mille ab Urbe lapidibus, habet in itinere conficiendo quinquaginta dies, & ultra aliquos triginta ad excusationem proponendam. Hoc sane tempus si non observaverit tutor, ejus excusatio amplius non admittitur, quasi temporis præscriptione submota *d. l. 13. §. 1. & l. 11. C. b. t.* Monet tamen Paulus in *l. 38. D. b. t.* hoc quinquaginta dierum spatiuin ad contestandas tantummodo excusationum caussas pertinere: peragendo autem negotio a die nominationis continuos quatuor menses constitutos esse. Est etiam animadversione dignum, non posse quem se excusare in partem: nam *datus tutor, ad universum patrimonium datus esse creditur*, inquit Justin. in *§. 17. b. t.* Excipe, si patrimonium ita diffusum sit, ut extent bona etiam in Provinciis: tunc enim datus tutor in Urbe, poterit se excusare, ne ultra centesimum lapidem ministret. Quapropter ceteris bonis, quæ ultra eum lapidem sunt, aliud erit tutor dandus *l. 28. §. 2. D. b. t.*

Transeo nunc ad formam excusationis: in ea enim aliud placuit olim, aliud postea obti-

obtinuit. Olim oportebat tutorem a datione statim appellare exemplo ceterorum munerum. Sed hoc mutavit D. Marcus, quod attinet ad tutelam: nam si quis testamento, vel a Magistratu datus sit tutor, non statim a datione provocat, sed prius intra constituta tempora excusationem proponit: quæ si inique pulsa fuerit, tunc demum appellabit, adnotante heic Vinnio. Addit Justin. in §. 16. b. r. quod si quis plures habeat excusationes, & de quibusdam non probaverit, aliis uti non prohibetur: nam excusationes defensiones sunt, quibus si plures habeat, uti nemo prohiberi potest; nisi tamen lex impedit l. 43. *D. de R. J.* ut est exemplum in *Novel. 18. cap. 8. in fin.* de reo inficiante debitum, qui in negationis pœnam pluribus defensionibus uti prohibetur. Verum pluribus uti volens excusationibus, omnes debet intra constituta tempora apud Judicem nominare, alioquin non admittuntur l. 13. §. 8. b. r. Accedit quoque, quod omnes causæ debent esse perfectæ, nempe quarum unaquæque per se validum & perfectum præbet auxilium: nam imperfectæ, et si plures, ne conjunctæ quidem ad excusationem profundunt,

Tom. I. Lib. I.

R

cujus rei sunt exempla in l. 15. §. 11.
D. b. t. Demum ait Imp. in §. ult. *b. t.*
 quod si quis falsis allegationibus Judicis re-
 ligionem circumvenerit, eoque excusatio-
 nem tutelæ meruerit, non est liberatus
 onere tutelæ, id est, ad eum périculum tu-
 telæ adhuc pertinet: quod favore pupil-
 lorum ex sacris constitutionibus introdu-
 cendum esse, tradit Paulus in l. 60. *D. de*

R. N.

De Suspectis tutoribus vel Cu- ratoribus.

Ad tit. XXVI. Instit. b. l.

Agit Justin. in *b. tit. XXVI.* de su-
 spectis tutoribus vel curatoribus, &
 in primis Ulpianum secutus in *l. 1. §. 1. D.*
b. t. tradit a lege xii. Tabb. cuius etiam
 meminit Cicero *lib. 3. de offic. cap. 15.*
 descendere hoc *suspecti crimen*, id est, su-
 suspecti criminacionem, sive accusationem,
 ut bene interpretatur heic Theophilus, &
 exemplis confirmat Erissonius *lib. 3. de*

V. S.

V. S. Deinde tractat, apud quos postulari quis possit suspectus tutor, vel curator, tum quis, & a quo, & quibus ex causis removeatur, deque poena suspecti. De his igitur omnibus sigillatim nunc differendum. Primo cognitio de suspectis tutoribus solis competit Magistratibus majoribus, qualis Romæ Prætor, & in Provinciis Præses §. i. b. t. Municipalibus vero Magistratibus non competit; quia cognitio suspecti tutoris non alibi exercetur, quam pro tribunali; eamque solus Prætor ceterique Magistratus majores habent, Hinc illa Juris regula apud Paulum in *l. 105. D. de R. J. ubicumque caussæ cognitio est, ibi Prætor desideratur.* Potest tamen illa a Prætore, vel Præside alteri demandari: quod propter utilitatem pupillorum factum est *l. i. §. 4. D. b. t.* Secundo ex sententia Ulp. in *d. l. i. §. 5.* omnes tutores possunt suspecti postulari, testamentarii, legitimi, & dativi. At si legitimi tutores, sicut & patronus, uti suspecti ob dolum removendi sint, eorum laedi existimationem necesse est, quia hoc judicio damnati infames sunt. Ut famæ igitur eorum parceretur propter sanguinis & patronatus reverentiam, constitutum est,

ut quamvis removendi fuerint ut suspecti
(ita legenda esse postrema verba in §. 1.
b. 2. monet Cl. Noodt in *Comm. ad b. 2.*
D.) attamen existimationis caussa non re-
moveantur , sed curator eis adjungitur *I.*
9. D. b. 2.

Tertio de iis , qui possunt suspectos po-
stulare , agit Justin. in §. 3. & 4. b. 2.
& ait , *quasi publicam esse banc accusatio-*
nem d. l. 1. §. 6. non alia de caussa ,
quam quia omnibus permittitur suspectos
tutores accusare exemplo publicorum judi-
ciorum , in quibus accusatio cuivis ex po-
pulo plerumque datur . Quinimo non so-
lum mares , sed etiam feminæ , modo ne-
cessitudinis vinculo , vel pietate aliqua ad
id perductæ *d. l. 1. §. 7.* ex rescripto DD.
Severi & Antonini ad accusandum admit-
tuntur §. 3. b. 2. & quod singulare est
in Jure Rom. Magistratus ex officio etiam
sine accusatore suspectos removere potest ,
si id ei liqueat ex apertissimis rerum ar-
gumentis *I. 3. §. 4. D. b. 2.* soli tamen
impuberi propter judicij infirmitatem id
non permittitur : adolescentibus vero per-
mittitur , modo id faciant ex consilio ne-
cessariorum §. 4. b. 2. *I. 7. D. b. 2.* Quar-
to loco inquirendum cum Justin. quibus
ex

ex caussis removeantur: ait enim in §. 5.
b. r. suspectum esse, qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit, id est, qui
non modo callide & fraudulenter in re
pupilli versatur, sed etiam qui negligenter,
neque ea sollicitudine, qua oportet, tutelam
gerit l. 5. C. b. r. Item qui *sordide egit*,
aut perniciose pupillo, ut ait Ulp. in l. 3.
§. 5. D. b. r. id est, in vitam & corpus
pupilli; vel aliquid intercipit ex rebus
pupillaribus d. l. 3. §. 5. vel si forte ini-
micus pupillo, parentibusve ejus sit d. l.
3. §. 12. ubi generaliter idem Ulp. tra-
dit, *si qua justa causa Prætorem moverit*,
cur non debeat in ea tutela versari, *reji-*
cere cum debebis. Ita quoque Imp. in §.
ult. b. r. generaliter docet, eum suspectum
putari, qui *moribus talis est*, *ut suspectus*
sit, nempe, ut vertit Theopilus, qui
tam perversus est moribus, ut vel ex his
ostendi possit, eum suspectum esse. Hinc
recte conficitur, suspectum argui oportere
non ex facultatibus tutoris, sed ex mori-
bus: nam siquis tutor vel curator, *quam-*
vis pauper est, *fidelis ramen & diligens*,
removendus non est quasi suspectus, d. §. ult.
b. r. & l. 8. D. b. r.

Præterea ex rescripto DD. Seweri & An-
toni.

tonini in §. 9. b. t. uti suspētus removere poterit tutor, qui pupillo non præstat alimenta: nam si Edictis evocatus latitet, & sui copiam non faciat, ut alimenta, quæ fortasse a patre statuta non sunt, per Prætorem decernantur pupillo, jam *sententia sua*, ait Ulp. in l. 7. §. 2. D. b. t. id est, *absentia sua* se suspectum fecit, eoque removendus erit: & quia cum eo remoto & absente tutelæ agi non poterat, pupillus exemplo ceterorum creditorum in possessionem bonorum ejus mittebatur: & quæ mora deteriora futura sunt, veluti *vinum, frumentum, &c.* curatore dato, distrahi jubebantur d. §. 9. b. t. At si tutor præsens per mendacium neget, propter inopiam alimenta posse decerni, non solum cum infamia removendus est, sed corporali poena afficiendus ad Præfectum Ubi remittitur §. 10. b. t. l. 3. §. 15. D. b. t. sicut & ille, qui data pecunia ministerium tutelæ adquisierit, vel redemerit d. §. 10. b. t. Ex his igitur similibusve caussis tutores cutatoresve suspecti argui & removeri possunt: nec interest, quod sint solvendo, aut satis offrant, tum quia *satisfatio tutoris propossum malevolum non mutat, sed diutius gra-*
fan-

sandi in re familiari facultatem præstat,
inquit Imp. in §. ult. b. t. cum quia
expedit pupillo rem suam salvam habere,
quam tabulas rem salvam fore cautionis l. 3.
D. b. t.

Reliquum est, ut de effectu postulati tutoris suspecti, deque remoti poena agamus. Effectus autem institutæ postulationis is est, ut durante cognitione interdicatur ei a Prætore administratio §. 7. b. t. & interea in ejus locum detur curator in rerum administratione l. 7. C. b. t. quod favore pupillorum introductum est. Probatæ demum suspicione, tutor esse definit, decreto Magistratus a tutela remotus, & alius in ejus locum constituitur l. 6. C. b. t. Sed si recepta vel suscepta cognitione, finita sit tutela morte tutoris, aliae ratione, procul dubio extinguitur suspecti crimen §. 8. b. t. l. penult. D. b. t. tum quia tutor jam natura remotus est, tum quod mortui nullus est poenæ sensus, & crimina morte exspirant l. 20. D. de accusat. Poena porro remoti tutoris illa est, ut si ob dolum remotus fuerit, infamia notetur, non æque tamen si ob culpam §. 6. b. t. nempe si ob culpam latam, ut pluribus probat Cl. Noodt cit. loc. contra

264 Elementorum J. C. Lib. I.

tra nonnullos, qui *culpam* heic accipiunt *levem*. Præter infamiam sunt & vincula publica *I. 3. §. 16. D. b. 1.* & interdum aliæ poenæ corporales graviores, ut sunt exempla in *§. 10. & 11. b. 1.* At eo tamen casu, quia Prætor merum imperium non habet, remittere solet tutorem corporali poena puniendum ad Præfectum Urbi, cuius in Urbe est merum imperium.

Finis libri I.

Aphi 11459984

170

B

40-43

